DE PROPRIETATE QUADAM ELOCUTIONIS AESCHYLEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XVII. M. JUNII A. MDCCCLXXXIX
PUBLICE DEFENDIT
AUCTOR

RICARDUS HAEUSLER
POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

P. HILDEBRANDT, CAND. PROB.
O. BRUECKNER, CAND. PHIL.
F. MERCHANT, STUD. PHIL.

BEROLINI 1889.
TYPIS EXPRESSIT SALEWSKIUS.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Quam Aeschylei sermonis proprietatem mihi proposui tractandam, cum ea sit in anacoluthis numeranda, tamen mihi in animo non est de anacoluthis quotquot sunt disserere omnibus, sed id unum moneo ea in omnium populorum linguis exstare, ita ut alia alii numero eorum varietateque antecedat. Neque maior invenitur copia in alia lingua quam Graecorum, id quod inde natum esse facile intellegitur, quod ille populus fuit volubilitate quadam dicendi et cogitandi celeritate praeditus. Graecus sermo quae possunt anacoluthiae cogitari genera exhibet, quae hic accuratius exponere longum est neque necessarium, praesertim cum id frequenter fecerint viri docti. Quae autem dicendi genera sint in anacoluthorum numero habenda, quae non sint, non raro est disceptatum et nunc ambigitur, cum alii angustioribus finibus quid esset anacoluthon intellegendum, alii circumscripserint latioribus. Sed tantum abest, ut omnes explicandi rationes hic afferam vel perlustrem, ut Hauptium, virum, illum illustrissimum, existimem recte iudicasse dicentem:[1]) 'Die Anacoluthie besteht nicht darin, dass ich, statt Richtiges zu reden, Unrichtiges rede, sondern Anacoluthie ist überall Abweichung von der strengen Form des Gedankens, also vom logischen Ausdruck und hat Anlass und Entschuldigung in dem psychologischen Vorgange. Jedes Anacoluth setzt eine für den Gedanken gleichbleibende, in der Form aber verschiedene Fassung des Vorhergehenden. Statt so fortzufahren, wie der Anfang der Rede es mit sich bringt, gleitet der Gedanke in eine andere Form über, indem ihm statt der Fassung des Vorhergehenden eine andere gleichbedeutende lebendig wird.' Quodsi Madvigius

[1]) Belger, Moriz Haupt als akadem. Lehrer 1879. p 96.

anacoluthon esse dicit[1]) orationem minus diligenter structam, idem vir doctus, opinor, non defendit id dicendi genus, ubiubi invenitur, sermoni esse dedecori vel illum scriptorem, qui interdum hac liberiore usus est dicendi ratione, non posse quod velit recte atque commode verbis complecti. Iam vero si conceditur apud unumquemque scriptorem, vel optimum ac probatissimum, inveniri anacoluthias, in eo non est acquiescendum, ut statuamus hic illic exstare anacoluthon, quippe quae significatio ea sit, quae magis obtegat vel obscuret difficultates quam expediat atque illustret; immo necesse est — nam in anacolutho et causa et modus est, ut Madvigii[2]) verbis utar, — videamus, quid scriptorem ab usitata structura recedentem vel neglegentem leges grammaticas coegerit solutius ac liberius loqui. Quibus in causis investigandis illud est evitandum, quod permulti adhuc commiserunt, ne eadem tractetur ratione poetarum ac prosaicorum sermo, quod ne fieret idem ille Hauptius postulaverat[3]) in scriptoribus interpretandis. Nam quantum intersit discrimen inter poeticam orationem et pedestrem magis apparet in nullo alio dicendi genere quam in ipsa anacoluthia. Atque, ut breviter dicam, hoc inde consequitur, quod scriptor prosaicus, quae mente cogitat, exprimit, poeta, quae animo sentit. Hic, si modo sit nominandus poeta, anacoluthiam admittit consulto certe numquam; sed tamquam totius loci tenore ipso cogitur solutiorem persequi orationem, prosaicus autem appetit hanc dicendi figuram non raro, sive quia perspicuitati studet, sive ut quendam effectum excitet; orator imprimis hanc sibi permittit licentiam, cui, ut Hermogenes dicit[4]), anacoluthia nonnumquam non est vitanda, sed expetenda.

Iam vero in illo anacoluthiae genere, quod ego mihi describendum proposui atque explicandum, exstat participium ἀνακολούθως usurpatum. Ad huiusmodi usum commodissima

---

1) Ciceronis de finibus ed. III. p. 853 s. v. anacoluthon.

2) in adn. ad Cic. de fin. II. 12. 37 (p 210).

3) Belger, l. l. p 154.

4) rhet. graec. ed. Spengel II. p 379 (cf. Volkmann, Rhetorik der Griechen u. Römer² p 564. Gerber, die Sprache als Kunst I² 546).

est haec orationis pars, quippe quae duplicem complectatur notionem et nominis et verbi, quare participium (graeco sermone μετοχή) utrum nomen esset an verbum, iam veteres dubitaverunt.[1]) Cum autem in nullo alio sermone participii usus tam late manaverit quam in Graeco — id quod ei ipsi speciem indit singularem quandam[2]) — non est cur admiremur, quod iidem Graeci frequentius praeter leges grammaticas participium usurpaverunt. Notio enim nominis, quae eo perspicitur, quod participium terminationibus nominis acceptis adiectivi induit naturam, postulat, ut illud eadem sequatur praecepta, quae adiectivum, hoc est ut genus numerum casum sui nominis accipiat, quocumque modo ei adnectitur sive attributive sive appositive sive praedicative. Sed verbi notio, quae participium secernit ab adiectivo[3]), frequentissime efficit, ut ratio quae est inter participium et eius nomen fiat solutior, id quod dilucide cognoscitur participiis praedicative positis.[4]) Nam non raro participium, grammaticis legibus non accomodatum, alium accepit casum vel genus vel numerum atque nomen suum. Discrepantia autem vel generis vel numeri facile explicatur, quod illam excitavit nomen ipsum; notissimus est exempli gratia is usus, quo nomini vim habenti collectivam participii numerus pluralis iungitur, velut Aesch. Ag. 555 K: Τροίαν ἑλόντες δήποτ' Ἀργείων στόλος
θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος.

Quae dicendi ratio apud scriptores frequens est et apud poetas et prosaicos.[5]) Aliter est iudicandum de eis locis,

---

1) Schoemann, Lehre von d. Redeteilen. 1862. p 34 sqq.

2) Bergk, griech. Literaturgesch. I (1872) p 134.

3) Quid sit discriminis inter participium et adiectivum accuratius exponit Romahn, de relatione temporali quae intercedit inter part. et verba finita ap. Aeschylum 1863. part. I.

4) de qua re egit Classenius in eo libro qui inscribitur 'Beobachtung üb. d. homer. Sprachgebrauch' 1867 p 39 sqq.

5) complura exempla similia collegit Grueterus (üb. d. Synesis. Pogr. Münster 1855) p 4. 17, Aelian 10, 21: ἑσμὸς μελισσῶν — καθίσασαι. Xen. Hell. I. 4. 12, Thuc. 5, 60, 4 etc., nec secus scribit Thuc. 4, 15: τὰ τέλη καταβάντας cf. Xen. Cyr. VII. 3. 8 etc.

quibus participium casu non congruit cum nomine suo. Et huius ipsius generis sunt ea exempla, quae tractaturus sum.

Atque iam accedens ad meum propositum, quae adhibui virorum doctorum scripta hic non afferam, cum et eorum maior sit numerus quam ut singula nominem omnia et postea occasione data de eis sermo futurus sit. Id affirmo me commentarios singulis scriptoribus adiectos non neglexisse neque grammaticae artis libros neque dissertationes peculiares aut de anacoluthia aut de casibus aut de participiis conscriptas. Magno usui mihi fuit scriptiuncula de syntaxi Graeca ab Huebnero composita, cui cum ipse me benevolentissime adiuverit, gratia mihi habenda est maxima. Quodsi in magna librorum copia aliquid me fugerit, tamen nihil spero me praeteriisse, quod aliquid momenti haberet ad proprietatem, de qua disputaturus sum, recte explicandam. Ita instituam meam dissertiunculam, ut primum quidem exempla huc pertinentia breviter afferam, deinde quid de eorum proprietate sit dicendum, exponam.

Caput I.

Primum igitur videamus, qui loci eam proprietatem exhibeant, quam illustraturus sum.

In Choephororum carmine pulchro illo artificiosoque, quod est distributum inter chorum et actores, profitetur chorus (398 K.):

πέπαλται δ'αὖτέ μοι φίλον
κέαρ τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

Sic codex Med. neque dubitari debet — id quod velim attendas — de participii κλύουσαν scriptura, a qua ne possumus quidem recedere, quia qualibet correctione violantur metri leges. Deinde dativus μοι retinendus est, non genetivus μου ponendus secundum usum formarum μου et μοι, quem observasse Aeschylum intellexit Schenkius.[1] Iam vide, sis, quae scripsisse poeta credendus sit: dativum pronominis μοι, parti-

[1]) Schenk, de genuini quem vocant genetivi apud Aeschylum usu. 1882. p 23.

cipii accusativum κλύουσαν, quamquam et nomine et participio persona significatur eadem; quae offensio eo augetur, quod participium non longe abest a nomine suo, ut accusativum exstitisse, cum poeta structuram inceptam magno interiecto intervallo desereret, dici vix possit.

Simillimum est illud Sophocleum in El. v. 479, ubi chorus loquitur non mediocriter excitatus:

ὕπεστί μοι θράσος
ἁδυπνόων κλύουσαν
ἀρτίως ὀνειράτων.

Haec leguntur in cod. Med.; eadem occurrit enallage casuum: exstat videlicet participii accusativus κλύουσαν, dativus pronominis μοι praecedit, etsi duae notiones referuntur ad eandem personam. Haec anacoluthia iam librariis offensionem movit, ut se non continerent libidine corrigendi.[1]) At necessitas metri obstat. Antistrophae quidem locus respondens sanus non est; sed quin ibi emendatio ea, qua μήποτε iteratur, sit vera, dubium non est. Nam et haec particula repetita sensui valde apta est et responsio restituitur accuratissima. Ergo concedendum est post dativum μοι participii accusativum κλύουσαν a poeta esse profectum.

Accedimus ad tertium locum. Xerxes enim dicit Pers. 890 K.: ἰώ
δύστηνος ἐγὼ στυγερᾶς μοίρας
τῆςδε κυρήσας ἀτεκμαρτοτάτης
ὡς ὠμοφρόνως δαίμων ἐνέβη
Περσῶν γενεᾷ· τί πάθω τλήμων;
λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη
τήνδ' ἡλικίαν ἐσιδόντ' ἀστῶν.

Haec legimus in cod. Med. Quod Hermannus censuit post v. 895 lacunam esse statuendam, non quod ἐσιδόντ' ad ἐμῶν relatum ferri non posset, sed ut, quae verba ab Athenaeo[2]) quasi ex Persis sumpta traduntur, ea hoc loco intericeret,

---

[1]) cf. adnotationem criticam ad h. l. in El. editione a Jahnio curata.

[2]) Athen. 3, 86 B.: *Αἰσχύλος δ' ἐν Πέρσαις τὰς νήσους νηριτρόφους εἴρηκεν.*

haec non est coniectura probabilis.[1]) Jam vero utrum ἐσιδόντ' dativus sit an accusativus, dissentiunt homines docti. Ego quidem existimo adhuc valere Hermanni iudicium, qui dixit[2]) de elisione vocalis ι quaestionem nondum esse perductam ad certum finem. At, quid, quaeso, lucramur, si ponimus dativum esse intellegendum? Eandem habemus anacoluthiam; nam post genetivum possessivum ἐμῶν — non ἐμοὶ est traditum, quod Schuetzius maluit scribere — exspectatur genetivus attributivus προσιδόντος, ut

Eur. El. 1194: τίς ξένος
τίς εὐσεβὴς ἐμὸν κάρα
προσόψεται ματέρα κτανόντος;

vel Cycl. 243: ὡς σφαγέντες αὐτίκα
πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν ἀπ' ἄνθρακος
θερμὴν ἔδοντος δαῖτ' ἄτερ κρεανόμων.[3])

Quid autem impedit quominus προσιδόντα suppleatur? In Aeschyli fabulis nullum deprehendimus locum, qui nos cogat elisionem litterae ι statuere;[4]) certe participia, quae extremam litteram habent elisam, intelleguntur suppleto accusativo; itaque non dubito hic quoque litteram α supplere; in hanc sententiam eo magis adducimur, cum alia exempla exstent huius loci simillima accusativum participii exhibentia non elisum, de quibus modo disputavimus.

Haec sunt ea exempla, quae in nostram cadunt quaestionem. Quibus quid doceamur, iam consideremus.

Tres hi loci inter se simillimi sunt; omnes exhibent animi quendam affectum, qui verbo exprimitur non simplici, quale est φοβοῦμαι vel simile quid; sed hae affectus notiones circumscriptionibus exornantur uberioribus, id quod ut maxime idoneum ad concitationem animi depingendam, ita apud tragicos poetas inveniri consentaneum est. Hi affectus singuli

---

[1]) Meinekius Philol. vol. XIX p. 239; Schiller-Conradt ad h. l. p 129.

[2]) in adn. ad O. C. 1436, cui iudicio adstipulatur Lobeckius ad Ai[3] p 294.

[3]) complura eiusdem generis exempla congessit Grueter l. l. part. II.

[4]) de eis locis, qui ad elisionem litterae ι confirmandam ex fabulis tragicorum sumuntur, disseruit Lobeckius Ai.[3] p 291.

pertinent ad loquentem; quamquam haec persona non tenet vicem subiecti, sed alio in casu posita est; duobus locis (El. et Ch.) occurrit forma μοι — non μου scripsit Aeschylus, quem animadvertit Schenkius formam μου modo ita usurpasse, ut faceret ex verbo aliquo pendentem aut absolute poneret hoc est in constructione genetivi absoluti, nusquam autem attributive nomini adiungeret. In Persarum versibus exstat forma ἐμῶν. Sive hac sive illa forma adhibita omnes sunt loci ita comparati, ut plena exstet sententia, quae habeat subiectum et praedicatum. Ad hanc autem sententiam primariam novum applicatur orationis membrum; participium enim, quod vim habet animadvertendi universam (κλύειν sive ἰδεῖν), causam adnectit, qua loquens vehementer se commoveri profitetur, eo modo, quo usi sunt persaepe scriptores, velut Mimnermus fr. 5, 2:

πτοιῶμαι δ'ἐσορῶν ἄνθος ὁμηλικίης

et Aeschylus ipse, ex cuius fabulis hic afferre nonnulla satis est; sic dicit Atossa Pers 826 K.:

ὦ δαῖμον, ὥς με πόλλ' εἰσέρχεται
ἄλγη, μάλιστα δ'ἥδε συμφορὰ δάκνει
ἀτιμίαν γε παιδὸς ἀμφὶ σώματι
ἐσθημάτων κλύουσαν, ἥ νιν ἀμπέχει.

Similiter loquitur chorus in Ag. 1196 K.:

τὴν μὲν Θυέστου δαῖτα παιδείων κρεῶν
ξυνῆκα καὶ πέφρικα, καὶ θάμβος μ'ἔχει
κλύοντ' ἀληθῶς, οὐδὲν ἐξῃκασμένα.

eodem modo chorus canit Choeph. 450 K.:

τρόμος μ'ὑφέρπει κλύουσαν εὐγμάτων

non secus pronuntiat Electra Ch. 177:

ἐξ ὀμμάτων δὲ δίψιοι πίπτουσί μοι
σταγόνες ἄφαρκτοι δυσχίμου πλημμυρίδος
πλόκαμον ἰδούσῃ τόνδε.

Similes sunt loci Prom. 248 K. 438. 693. 756. 897. Sept. 185. Ch. 218. alii. Sed his omnibus locis participium, quod adiungit causam affectus enuntiato primario pronuntiati, praecepta doctrinae grammaticae non violat, sed casum

accipit eundem atque nomen suum; id quod non fit in tribus illis exemplis et Choeph. et Pers. et Electr.; etenim participium, etsi nominis genus et numerus servantur, aliam in casum abit. Sic sequitur Choeph. 399 et Electr. 479 accusativus participii κλύουσαν dativum nominis μοι, Pers. 894 genetivo ἐμῶν iungitur accusativus προσιδόντα. Ergo participium videmus a nomine solutum. Quid autem excitavit hanc casuum discrepantiam? Eam nonnulli viri docti tam miram esse atque inusitatam censuerunt, ut Graeco sermoni eam tribuendam esse negarent, et sic corrigere studuerunt, ut anacoluthia illa tam propria plane evanesceret. Sic iudicaverunt imprimis Herwerdenus,[1]) Blaydesius,[2]) Paleius,[3]) Reifferscheidtius.[4]) Alii autem, quae codice traduntur, pro sanis habere non dubitaverunt, sed quasi illa casuum enallage in tralaticiis rebus esset numeranda, acquieverunt in eo, quod anacoluthiam esse statuerunt, cum non investigarent, quid anacoluthon movisset. Sic sentit Wannowskius hanc esse rem notam vel tironibus, ut in ea recensenda morari eum pigeat.[5]) Alii explanare conati sunt, unde casuum enallage illa tam singularis originem duceret; imprimis Brunckius,[6]) Elmsleius,[7]) Hermannus[8]) sunt nominandi, quorum varias explicationes

---

1) in ed. Soph. Oed. R. ad v. 259.

2) compluribus locis Soph. fabularum, imprimis ad El. 479.

3) ad Soph. El. 479.

4) in ind. lect. Vrat. 1876.

5) cf. syntaxeos anomalae graec. 1835. p 136; idem iudicat Benloewius (de Sophocleae dictionis proprietate 1847) p 25.

6) in compluribus et tragoediarum et comoediarum editionibus, imprimis in adn. ad El, 479, quo legentem fere semper remittit. de eius sententia v. inf.

7) de hac re dicit saepius, imprimis in adn. ad Eur. Heracl. 693. O. C. 1436. de eius sententia v. inf. p 13. 14. adn. 4.

8) in adn. ad Vig.[8] p. 869; aliquantum autem temporis Hermannus Elmslei opinionem secutus erat, cuius errore postea cognito ad suam sententiam priorem (Vig. l. l. prolatam) revertit [cf. adnot. eius ad S. O. C. 1436]. Ea plurimorum assensum tulit, velut Wrobelii [de generis numeri casuum anacoluthia ap. poet. trag. Gr. 1872 § 22 b] Campbellii [introd. of language of Soph. et in adn. ad El. 479]. Lobeckius (Ai 1006), qui eandem explicationem sequitur, recte intellexit hanc licentiam

hic me afferre opus non est, quoniam postea occasio dabitur eas exponendi atque simul docendi, quam perverse illi viri docti iudicaverint. His autem omnibus id maxime accidit, ut ad opinionem suam firmandam multa, quae sunt prorsus aliena, compararent atque diversissima diversissimis explicarent.

Quae res atque sententiarum varietas magna me incitaverunt ad hanc quaestionem denuo instituendam. Itaque meum esse puto secernere, quae secernenda sunt, ut accusativi participialis proprietas tribus his locis inventa clarius perspiciatur. Hoc facilius fieri non potest quam examinatis generatim eis exemplis, quae participium cum nominis casu non congruens praebent, qua in re ea praecipue respiciamus necesse est, quae iniuria collata sunt; nam nemo, opinor, mihi vertet opprobrio, quod non omnia ex omnibus scriptoribus proferam. Deinde videamus, num, ut adhuc putabant viri docti, his exemplis, quae participii usum habent liberiorem, illustretur illa proprietas, quae inest in tribus locis, quos supra attulimus ex Aeschyli et Sophoclis fabulis.

Cap. II. pars I.

Discrepantia, quae saepe intercedit inter participii casum et nominis, sane est sermonis Graeci propria, sed non tam singularis, ut illa quomodo orta sit non intellegatur.

§ 1.

Participium, cuius natura verbalis efficit, ut liberius ad nomen praecedens applicetur, tum cum a nominis sui casu recedit, solet in genetivo poni, ita ut hic casus magis minusve arte cohaereat cum enuntiato primario. Inde originem ducit constructio[1]) genetivi qui vocatur absoluti, ad quem usum hic

soli esse poesi tribuendam; item Wunderus (Ai 1006). Grammaticorum Kuehnerus solus (gr. gr. II 496] attigit hanc proprietatem — Kruegerus et Madvigius tacent — et Hermanni opinioni adstipulatus est.

[1]) id quod Classenius l. l. recte demonstravit, qui habet assentientes Delbrueckium [synt. Graec. p 125] Brugmannium. [Iw. Müller, Handb. d. klass. Altertumswiss. II § 175] multos alios.

casus e natura sua maxime idoneus est; sed etsi disceptatur, utrum in hac constructione statuendum sit genetivum esse genuinum necne, id manifestum est eum quasi absoluti vice fungi idque imprimis aetate post Homerum. Hic autem usus, quo participium abit in genetivum nomine alium casum habente, non infrequens est, sed pervagatissimus inde ab Homeri temporibus atque invenitur apud omnes fere scriptores. Exempla memorabilia ex Homero sumpta collegit Classenius[1]), ex quibus velim attendas ad unum ζ 155:

μάλα πού σφισι θυμὸς
αἰὲν ἐϋφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο,
λευσσόντων τοιόνδε θάλος χορὸν εἰσοιχνεῦσαν.

Qui locus etsi cum illis, quos nobis proposuimus tractandos, similitudinem habet magnam, tamen aliqua ex parte ab eis differt. Etenim hic quoque exstat participium vim videndi habens, quod causam addit, cur personae, quae significantur voce σφίσι, gaudio afficiantur; idem, etsi praecedentis nominis casui non est accommodatum, non accusativum sicut in exemplis, de quibus agitur, accepit, sed, qui exspectatur, genetivum; hic casus autem eo facilius ferri potest, quo magis pendet ex nomine θυμός. Quid intersit praeterea inter Homeri locum et inter illos ex Aeschylo et Sophocle sumptos qualis est Ch. 398, perspicuum est; nam apud Homerum de tertia persona aliquis narrat, apud tragicos poetas loquitur de se ipso idem, qui audit vel videt et simul animi motu perturbatur. Omnium autem scriptorum, qui post Homerum hanc sibi licentiam permiserunt, ut genetivi absoluti structuram adhiberent, ubi participium constructum postulatur, exempla afferre omnia longum est[2]). Id est notandum participii genetivo modo nomen peculiare iunctum esse, ut persona vel res bis significaretur, modo defuisse. Quodsi iteratum est nomen, scriptor voluit id quod participio contineretur

---

1) Classen l. l. p 174.

2) omnia huius generis exempla non esse in anacoluthis numeranda recte indicavit Melander de anac. Herodoteis (acta univ. Lund. 1868) p 18 adn. 9.

maxime efferri[1]); si minus, etsi nomen ex sententiae nexu facile potest subaudiri, participium notionem nonnumquam accepit generalem. Ut, quod modo dixi, firmem exemplis, in Aeschyli Agamemnone Clytaemnestra coniugem suum appellat (v. 932 K): καὶ σοῦ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν
θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολών.

Haec leguntur in codice Med.; sive forma μολὼν sive μολὸν antefertur, genetivus absolutus non tollitur isque ponitur, etsi nomen non deest, quo referendum sit participium. Sed hac structura apte significatur atque describitur magnum illud gaudium, etiamsi fictum, quod Agamemnon domum reversus excitavit. — Qui vero, velut Hartzius[2]), affert ex Aeschylo illud Ag. 1375:

λέγω δέ σοι
τοιαῦτ' ἀπειλεῖν, ὡς παρεσκευασμένης
ἐκ κῶν ὁμοίων, χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ ἄρχειν.

is vituperandus est; hi versus, quamvis multis sint mutationibus temptati, sani sunt neque ille versus 1376 est delendus cum Engero et Dindorfio[3]). Genetivus παρεσκευασμένης autem post verbum λέγω positus offensionem habet nullam, etsi ad unam eandemque personam duae spectant notiones; nam participium sententiae secundariae ex verbo λέγω pendenti adnexum est. Quae igitur alia potest forma exspectari nisi genetivus, quoniam ad verbum ἀπειλεῖν non με, sed σε quasi subiectum est supplendum?

Illius autem alterius generis, quod exhibet participii genetivum absolutum nomine non repetito, exemplum legimus apud Aeschylum nullum; quale est Eur. Hel. 56:

τί δῆτ' ἔτι ζῶ; θεοῦ τόδ' εἰσήκουσ' ἔπος
Ἑρμοῦ, τὸ κλεινὸν μ' ἔτι κατοικήσειν πέδον
Σπάρτης σὺν ἀνδρί, γνόντος ὡς ἐς Ἴλιον
οὐκ ἦλθον, ἵνα μὴ λέκτρ' ὑποστρώσω τινί.

---

1) Madvig, synt. graec. ed. II. p 220.

2) de anacoluthis ap. Aeschylum et Soph. 1856 p. 13.

3) quorum sententia tulit Wolffii quoque [anal. Aeschyl. Bonn 1881 p. 26] assensum, qui etiam diverbia in certos esse ordines distributa vult, id quo nihil magis perversum esse potest. Wecklinus quoque v. 1376 esse delendum putat. [cf. eius edit. Orestiae. 1888.]

ubi quamquam σὺν ἀνδρὶ praecedit, genetivus γνόντος positus est; facile quidem αὐτοῦ subaudiri potest, sed cum nomen non sit expressum, participium γνόντος generaliter accipiendum est in eundem sensum, quo est 'si compertum est', id quod cum sententia convenit, quoniam non modo Menelaum, sed etiam reliquos Graecos Helenae innocentiam cognoscere magni interest.[1]) — Nihil ergo quod offendat habet haec structura, quae participium in genetivo positum exhibet, nomen alio casu indutum, quam dicendi rationem possumus praecipue in prosa oratione deprehendere; conferas velim exempla ex Herodoto[2]) vel Thucydide[3]) vel aliis scriptoribus collecta.

Iam vero quaeramus necesse est, num ceteri quoque casus absolute positi sunt eodem modo, quo genetivus. Dativus certe videtur initium cepisse huius usus liberi, quantum colligere licet ex nonnullis exemplis Homericis; hunc casum videlicet invenimus, ubi propter praecedens nomen alius postulatur. Hoc non est mirum; dativus enim, ut rationem, quae intercedit inter enuntiatum primarium et participium, significat universam, etsi restrictiorem quam genetivus, ita est non minus idoneus qui absolute ponatur.[4]) Sed hic usus non tam longe lateque fluxit in sermone Graeco quam structura genetivi absoluti; nam praeter pauca exempla Homerica K. 187:

ὣς τῶν νήδυμος ὕπνος ἀπὸ βλεφάροιιν ὀλώλει
νύκτα φυλασσομένοισι κακήν.

Ξ 139: 'Ατρεΐδη, νῦν δήπου 'Αχιλλῆος ὀλοὸν κῆρ

---

[1]) Non est idoneum, quod hic afferatur, illud Euripideum Med 910:
εἰκὸς γὰρ ὀργὰς θῆλυ ποιεῖσθαι γένος
910 γάμους παρεμπολῶντος ἀλλοίους πόσει
quem versum puto Prinzium recte habere pro nondum emendato.

[2]) Melander l. l. p 18.

[3]) Balkenholl, de part. usu Thucydideo 1882. p 34.

[4]) propterea dicit Classenius l l. p 159: Sie alle (sc. exempla qualia sunt K 187 et Ξ 139) beweisen, dass die homerische Sprache sich auf dem Wege befand, auch den Dativ des Part. neben dem Gen. . . zu jener Ausdrucksweise zu verwenden, die wir der äusseren Erscheinung wegen die der absoluten d. i. aus dem grammatischen Zusammenhang ausgeschiedenen Casus nennen.

γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι, φόνον καὶ φύζαν Ἀχαιῶν
δερκομένῳ, ἐπεὶ οὔ οἱ ἔνι φρένες οὐδ' ἠβαιαί.

ρ 555: μεταλλῆσαί τί ἑ θυμὸς
ἀμφὶ πόσει κέλεται, καὶ κήδεά περ πεπαθυίῃ.

praeter haec pauca igitur nullum dativi tam inusitate adhibiti invenimus testimonium.

Numquam autem absolute usurpatus est accusativus; de hoc casu quoniam maxime agitur, accuratius est disserendum, praesertim cum sint qui accusativum absolutum in Graeco sermone fuisse dicant, id quod defendit imprimis Elmsleius.[1]) Hanc opinionem falsam esse et ratio accusativi demonstrat et docent ea exempla, quae ad talem usum firmandum afferuntur, quae aliter explicari possunt ac debent. Multa quidem disputata sunt nostris temporibus de huius casus origine atque vi primitiva; ambigitur enim, utrum accusativo primitus loci rationes an grammaticae subsint; terminatio sane ipsa huius casus ansam non dat primitivae notionis enucleandae.[2]) Ego vero eos puto recte iudicare, qui accusativum grammaticas rationes solas sequi neque vim habere localem arbitrantur,[3]) quae sententia nunc maxime valet; nam quotquot accusativorum exempla localem huius casus vim comprobare videntur, omnia possunt rationibus explanari grammaticis neque sunt eiusmodi, ut vim in eis inesse localem statuendum sit. Sed mittamus hanc quaestionem, quam diligenter persequi hoc loco longum est; quae mea sit de hac re sententia, dixi. Tenendum est igitur accusativum inservire[4]) ad notionem verbi supplendam atque eam esse eius naturam, ut per se stare non possit, sed habeat necesse sit, unde regatur; quamquam negari non licet quosdam accusativos velut χάριν posteriore aetate fungi vice adverbiorum, ut ita dicam, quem usum ex accusativo pendente esse derivatum

---

1) idem vir doctus, quod discrimen interesset inter hanc structuram et genetivum absolutum, invenisse sibi visus est. cf. p 14. adn. 4.

2) Leskien Berichte d. sächs. Gesellsch. 1884. p 101. Brugmann. (I. Müller Hdbch. II p 107.)

3) Hübschmann, zur Casuslehre. 1875.

4) Delbrück. synt. gr. p 29. Brugmann l. l. p 109.

magis minusve perspicuum est.[1]) Sed qualia sunt ea exempla, quibus accusativum participii absolute positum demonstrari censent viri docti?

Ac primum quidem afferamus notissima. Neutra participii velut παρόν, ἐξόν, εἰρημένον etc. pro accusativis absolutis nonnulli venditant.[2]) Ea autem — nondum apud Homerum haec inveniuntur; sed occurrunt demum posteriore aetate — non absolute posita sunt, sed appositive iuncta alicui orationis membro aut toti enuntiato similiter atque substantiva, velut Eur. Or. 1105:

Ἑλένην κτάνωμεν, Μενέλεῳ λύπην πικράν.

Hunc participiorum usum appositivum Heikelius[3]) firmavit exemplis Herodoteis cum aliis tum hoc luculentissimo III, 65: ἀδελφεοκτόνος οὐδὲν δέον γέγονα. Postea tamen videntur eiusmodi participia, quippe quorum numerus sit exiguus, speciem certarum formularum nacta esse, ut ratio appositiva fieret liberior atque ea usurparentur etiam ubi genetivus absolutus exspectabatur, ad quem usum id maxime valuit, quod neutrius generis sunt. Neque eis caret Aeschylus:

Prom. 647: τί παρθενεύῃ δαρόν, ἐξόν σοι γάμου τυχεῖν μεγίστου.
vel Ag. 1590: γνώσῃ γέρων ὢν ὡς διδάσκεσθαι βαρὺ
τῷ τηλικούτῳ, σωφρονεῖν εἰρημένον.

Deinde talia sunt exempla memoranda pro accusativis absolutis perperam venditata, quae participii accusativum per particulam ὡς introductum habent.[4]) Sed haec sunt aliter

---

1) Delbrück. synt. gr. p 34.

2) Geisler, de nominativo q. v. absoluto 1855. cap. III; alii ea participia per nominativum absolutum explicanda esse existimant, velut idem Geisler.

3) de participiorum apud Herodotum usu 1884 p 126.

4) Huiusmodi exempla praecipue Elmsleium adduxerunt, ut accusativum absolutum esse statueret; cf. eius adnotationem ad Eur. Heracl. 693, cuius auxilio loci qua re genetivus absolutus differret ab accusativo, enucleasse sibi videtur. Non recte. Nam quod dicit 'inter genetivum et accusativum absolutum hoc fere interesse videtur, quod genetivus ipsam rem, accusativus alicuius de ea re sententiam exprimit' perspicuum est, quam falsa sit eius opinio; nam particula ὡς (v. supra) sententiae talem attribuit notionem, qualem voluit Elmsleius; quae non

explicanda, non per accusativum absolutum. Particulam ὡς vel ὥσπερ ab initio esse comparativam inter omnes constat, ut primitus ea solis participiis quae vocantur coniunctis apposita sit; deinde genetivus absolutus eadem est particula ornatus; denique cum haec particula ὡς cum participio conexa quasi in notionem verbi sentiendi abire videretur,[1]) factum est, ut sicut verbum sentiendi tractaretur, hoc est ut accusativus participii sequeretur. Qua in re recte sentire mihi videor idcirco, quod hunc usum accusativi participialis cum ὡς coniuncti nondum Homerus, sed demum posterioris aetatis scriptores exhibent, velut Sophocles Oed. Reg. 1001:

ἀνδρηλαλοῦτας ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.

vel Euripides Phoen. 1462:

ἀνῇξε δ'ὀρθὸς λαὸς εἰς ἔριν λόγων,
ἡμεῖς μὲν ὡς νικῶντα δεσπότην ἐμὸν,
οἱ δ'ὡς ἐκεῖνον.

qui usus non invenitur apud Aeschylum, quantum iudicari licet ex fabulis superstitibus. — Iam vero apparet, quid iudicandum sit, si ὡς cum accusativo participii scribitur, quamquam in una eademque sententia praecedit vel subsequitur nomen ad quod sit referendum participium, velut legimus Arist. poet. 20. 1457 a 12: ἐν τοῖς διπλοῖς οὐ χρώμεθα ὡς καὶ αὐτὸ καθ' αὐτὸ σημαῖνον, ubi ob χρώμεθα dativus requiritur:[2]) ὡς καὶ αὐτῷ καθ' αὐτὸ σημαίνοντι, vel Herodian. II. 3. 5: τὸ πάνυ δεξιὸν ὑμῶν . . . ἄλλῳ μὲν ἄν τῳ θάρσος ἐνέβαλεν — ὡς εὐμαρῶς τὴν ἀρχὴν διοίσαντα ἐν ἀρχομένοις οὕτως εὐνοοῦσιν.[3]) Quodsi participio neutrius generis ὡς iungitur, potest — minime ubique necessarium est — hoc quoque participium pro accu-

---

est repetenda ab accusativi natura. Hac igitur opinione deceptus Elmsleius cum usum accusativi absoluti multo latius patere quam alii viri docti demonstrare studeret, ei accidit, ut exempla inter se plane disparia confunderet; quin etiam locis quamvis fide librorum stabilitis accusativum pro casu tradito inferre non dubitavit.

[1]) Vahlen, ad Aristot. poet.[3] p 214.

[2]) Vahlen l. l. p 214.

[3]) Wannowskius, synt. graec. anom. p 124.

sativo haberi; sed perversum est ex ea re colligere talia participia sine ὡς particula posita nihil esse posse nisi accusativos.[1]) Ergo ne haec quidem exempla demonstrant accusativum absolutum fuisse in Graeco sermone.

Qui autem ad talem usum stabiliendum locos[2]) sumit, qui infinitivum accusativo participii iunctum habent velut Xen. Cyr. II. 1. 15: ἔξεστιν ὑμῖν λαβόντας ὅπλα εἰς τὸν κίνδυνον ἐμβαίνειν, eum non vere iudicare elucebit ex eis, quae de huiusmodi locis infra disputabo.

Neque talia exempla sunt adhibenda, in quibus accusativum participii per veram esse anacoluthiam explicandum videmus, ut in Eurip. versibus Troad. 1209:

ὦ τέκνον, οὐχ ἵπποισι νικήσαντά σε
οὐδ' ἥλικας τόξοισιν, οὓς Φρύγες νόμους
τιμῶσιν, οὐκ εἰς πλησμονὰς θηρώμενοι,
μήτηρ πατρός σοι προστίθησ' ἀγάλματα
τῶν σῶν ποτ' ὄντων.

vel in Sophocleis O. C. 765:

πρόσθεν τε γάρ με τοῖσιν οἰκείοις κακοῖς
νοσοῦνθ', ὅτ' ἦν μοι τέρψις ἐκπεσεῖν χθονός,
οὐκ ἤθελες θέλοντι προσθέσθαι χάριν.

His enim locis accusativus (νικήσαντά σε — με νοσοῦντα) ea re ortus est, quod pro obiecto accommodatus est ad verbum finitum, quod ineunte sententia poeta in animo habebat; sed intermissa structura hic posuit in sequentibus aliud verbum cum praecedente accusativo non conveniens, ut hic casus non habere videretur, unde regeretur[3]).

Porro nemo colliget accusativum absolutum fuisse ex eis locis, ubi accusativus participii respondet nominativo soluto, qui erat ponendus oratione directa adhibita, ut in Thuc. V. 79, 1:

---

[1]) id quod fecit velut Balkenhollius l. l. p 36.

[2]) velut fecit Elmsleius.

[3]) eiusdem generis est anacoluthia Od I 275, ubi nominis accusativus μητέρα, participio quidem carens, eadem ratione ortus est. [cf. Laun de anac. Hom. 1831. p 12. Kirchhoff Odyssee. exc. I.]

κα̣ττάδε ἔδοξε τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀργείοις σπονδὰς καὶ ξυμμαχίαν εἶμεν πεντήκοντα ἔτη, ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις δίκας διδόντας καττὰ πάτρια; quo de loco v. p. 20.

Haec sunt exempla, quae specie accusativum absolutum habent, re vera non habent.

§ 2

Genetivus igitur solus — nam dativus, etsi certe is quoque singillatim sic usurpatus est, omitti potest — absolute positus est, cum nihil fuisset, quod eum excitaret. Quid vero est tandem, quod eam anacoluthiam effecerit, ut participium cum nominis casu non congruens non genetivum, sed alium acciperet casum, id quod non raro apud scriptores Graecos factum esse videmus. Unde autem repetenda sit discrepantiae casuum causa, facile intelleget, qui accuratius contemplabitur eos locos, qui participium habent solutum; hoc enim nomine dixerim ea participia, quae cum nominis casu non congruentia non genetivum exhibent, sed alium casum. Conformatio sententiae ipsa fere adduxit istam anacoluthiam, ut participium sequens quasi cogeretur alium casum accipere atque nominis eius; quamobrem ea structura appellatur nomine κατὰ σύνεσιν; — qua significatione ne abutamur cavendum est. Haec anacoluthia maximam partem oritur aut e perspicuitatis studio aut ex loquendi neglegentia, quae causae cadunt magis in orationem pedestrem quam in poesin; quocirca consentaneum est plurima exstare exempla apud scriptores prosaicos. Omnes autem casus sic usurpati sunt, ut κατὰ σύνεσιν ponerentur: dativus (v. p. 17), accusativus (v. p. 20), nominativus (v. p. 21).

I. Ac primum de dativo: Hoc modo potest explanari illud Homericum quoque ρ 555:

μεταλλῆσαί τί ἑ θυμὸς
ἀμφὶ πόσει κέλεται, καὶ κήδεά περ πεπαθυίῃ,

Nam etiam verbum κέλεσθαι causa fuisse potest, cur participium sequens in dativo poneretur, cum hoc verbum dupliciter coniungi liceret et cum casu tertio et quarto; atque eo magis ferri potest haec casuum enallage, quod verbum κέλεσθαι interiectum est inter pronomen et participium; quae

explicatio Fleischero[1]) magis arridet quam Classenii dativum absolutum esse statuentis. Simillima sunt, quae apud Euripidem legimus:

Med. 57: ὥσθ' ἵμερος μ'ὑπῆλθε γῇ τε κοὐράνῳ
λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.

et Iph. A. 491: ἄλλως τε μ'ἔλεος τῆς ταλαιπώρου κόρης
εἰσῆλθε, συγγένειαν, ἐννοουμένῳ.

quamquam concedendum est hic quaestionem esse impeditiorem eo, quod ea cum altera coniuncta est, quae est de elisione pronominis μοι; nam ab verbis et ὑπελθεῖν et εἰσελθεῖν dativus quoque suspendi potuit.[2]) Apud Homerum certe haec elisio nihil habet quod mirum sit, cf. Π 207, Α 107.[3]) Alii censent crasin esse faciendam, velut Meinekius,[4]) qui scribit Med. 57 μοὐπῆλθε, etsi exempla non inveniuntur, quae comprobent crasin ex diphthongo οι et sequente vocali υ factam. Accedit vero, quod difficile est disceptatu, quas leges Graeci observaverint in adhibenda crasi et elisione; nam modo scriptores ipsi crasin et elisionem fecerunt, modo lectori id faciendum reliquerunt,[5]) ut non sit incredibile putare Euripidem quidem ipsum formam μοι sine crasi vel elisione posuisse, posteriores librarios demum elisionem dativi μοι effecisse. Sed id quomodo expediendum sit, aliis relinquo diiudiandum. Quodsi formam μ' non potest intellegi nisi accusativo suppleto, tamen offensio discrepantiae casuum, quae est inter nomen et participium, multo lenitur vel tollitur, quod, ut iam dixi, praecedens verbum et dativum et accusativum secum habet

---

1) Fleischer, de primordiis Graeci acc. c. inf. ac peculiari eius usu Homerico 1870 p 71.

2) cui videtur alienus dativus verbo *εἰσελθεῖν* iunctus, is conferat velim S. O. C. 372 [similiter *ἐμβαίνειν* coniunctum est cum *εἰς* Xen. Cyr. II. 1. 15].

3) Christ, Metrik der Griech. u. Röm. p 36; eandem elisionem diphthongi *οι* nonnulli sibi videntur invenisse apud Soph. Ai. 191, quo loco forma *μ'* nihil aliud est nisi *με* (cf. Trawinski, de accus. ex phrasibus apto ap. trag. gr. 1865 p 32. M Böttger, de singulari quadam verbi periphrasi ap. Soph. 1879. p 23.

4) fragm. comic. graec. IV. p 27.

5) Wilamovitz, quaest. philol. IX. p 6.

atque intersertum est inter nomen et participium. Studium autem perspicuitatis quanti fuerit momenti, ut scriptor casuum discrepantiam admitteret, elucet ex illo Sophocleo Oed. Reg. 353:

ἄληθες; ἐννέπω σε τῷ κηρύγματι,
ᾧπερ προεῖπας ἐμμένειν, κἀφ' ἡμέρας
τῆς νῦν προσαυδᾶν μήτε τούσδε μήτ' ἐμέ,
ὡς ὄντι γῆς τῆσδ' ἀνοσίῳ μιάστορι.

Non licet quidquam mutare; ambigituitatis causa evitandae participium in accusativo non esse positum, quis non intellegit? Praeterea praecedens verbum ἐννέπω structuras patitur duas; porro discrepantia casuum inter nomen et participium intercedens videtur me iudice minus dura esse particula ὡς addita. — Ex prosa oratione potest unum afferri exemplum dativum participii exhibens praecedente nominis alio casu; scribit enim Thucydides I 62: ἦν δὲ γνώμη τοῦ 'Αριστέως, τὸ μὲν μεθ' ἑαυτοῦ στρατόπεδον ἔχοντι ἐν τῷ 'Ισθμῷ ἐπιτηρεῖν τοὺς Αθηναίους — — qui locus variis mutationibus sollicitatus est, velut a Reifferscheidtio,[1]) qui dativum participii ἔχοντι post genetivum 'Αριστέως intervallo non magno positum ferri posse negat; idem iudicavit Madvigius.[2]) Et profecto exspectatur participio soluto aut accusativus ἔχοντα ex infinitivo sequente ἐπιτηρεῖν pendens[3]) aut nominativus ἔχων eodem modo positus quo in simillimo Herodoteo IV, 132: Δαρείου μέν νυν ἡ γνώμη ἦν Σκύθας ἑαυτῷ διδόναι σφέας τε καὶ γῆν τε καὶ ὕδωρ, εἰκάζων . . . Cum autem ἦν 'Αριστέως γνώμη idem sit atque ἔδοξεν 'Αριστεῖ[4]) aut quia pro τοῦ 'Αριστέως non minus apte scribi potuit τῷ 'Αριστεῖ,[5]) puto ego quidem mutatione opus non esse, sed recte coniungi posse participii dativum cum enuntiato primario, quod est ἦν τοῦ 'Αριστέως γνώμη. Alia exempla, quibus hic dativi participii usus demonstretur, non inveni.[6])

---

1) ind. lect. aest. Vratisl. 1876. p 3 sqq.

2) advers. crit. I p 307.

3) de quo genere accusativorum v. infr. p 31 sqq.

4) quod voluit Classenius ad h. l. et Michaelis, de inf. usu Thucydideo. Halle 1876 p 47.

5) quam explicationem secutus est Poppo-Stahlius ad h. l.

6) Platonis Sympos. 203 A, quod Wanñowskius huc referendum

II. Accusativus: Raro quidem igitur hac ratione dativus participialis usurpatus est, ut ex sententia ipsa excitaretur atque κατὰ σύνεσιν poneretur; sed ea exempla exstant multo rarius, ubi hanc rationem sequitur accusativus; nam quotquot scriptores perlegi, unum occurrit exemplum; quod enim Plato scribit Phaedr. 275 A: τοῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν ἀναμιμνῃσκομένους, participii habemus accusativum (ἀναμιμνῃσκομένους), nominis praecedentis genetivum (τῶν μαθόντων). Sed scriptorem hoc ipso loco consilio quodam hanc anacoluthiam appetivisse perpicuum est. Quam obscura enim atque difficilis intellectu evaderet enuntiatio, si eundem accepisset participium casum quem nomen praecedens! Participio a nomine soluto qui casus ex sententia magis aptus fuit quam quartus? Nam τῶν μαθόντων λήθην παρέξει facile abire potuit in eandem vim quae est τοὺς μαθόντας παρέξει λανθανομένους, ut ei, qui non sunt de suo ipso memores, quasi efficiant obiectum sententiae verbo finito expressae. Itaque haec discrepantia casuum non ferri non potest, qua admissa accusativus non modo apte convenit, sed vel exigitur. Praeter hoc unum exemplum deprehenditur nullum, quod sit eiusdem generis; nam cum eo non sunt conferendi ei loci, qui habent accusativum ob orationem obliquam, ut oratione directa posita nominativus existat, velut Thuc. V. 79, 1: καττάδε ἔδοξε τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀργείοις σπονδὰς καὶ ξυμμαχίαν εἶμεν πεντήκοντα ἔτη, ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις δίκας διδόντας καττὰ πάτρια; ubi dictum est διδόντας quasi praecederet τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ Ἀργείους σπονδὰς καὶ ξυμμαχίαν ἔχειν, quae verba pendent ex καττάδε ἔδοξε. Neque admirationem movent eiusmodi exempla, quale est Soph. Ant. 1001:

ἵζων, ἵν' ἦν μοι παντὸς οἰωνοῦ λιμὴν

---

putat, manifestum est non sane traditum esse; aliquid enim intercidit, ut non dubitem id quod proposuit Schanzius recipere: *θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους* καὶ πρὸς θεοὺς ἀνθρώποις,* καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι.*

ἀγνῶτ' ἀκούω φθόγγον ὀρνίθων, κακῷ
κλάζοντας οἴστρῳ καὶ βεβαρβαρωμένῳ

cum causa discrepantiae casuum (ὀρνίθων et κλάζοντας) repetenda sit ex nomine ipso, ad quod pertinet participium, vel potius ex duorum nominum iunctura, quae quasi in unam coalescunt notionem; nam forma ὄρνιθας, quae postulatur ab insequente κλάζοντας, inest in verbis ὀρνίθων φθόγγον, quod idem est atque ὄρνιθας φθεγγομένους. Itaque cum hoc loco comparaveris exempla, quae breviter attigi p 3.[1]) His Sophocleis versibus sunt illa verba similia ex Isylli Epidaurii carmine sumpta, quae legimus apud Wilamovitzium quaest. philol. IX p 9:

καὶ ἐπεύχεσθαι πολιάταις
πᾶσιν ἀεὶ διδόμεν τέκνοις τ' ἐρατὰν ὑγίειαν
τὰν καλοκαγαθίαν τ' Ἐπιδαυροῖ ἀεὶ (δ)ρέπεν ἀνδρῶν
εὐνομίαν τε καὶ εἰράναν καὶ πλοῦτον ἀμεμφῆ
ὥραις ἐξ ὡρᾶν νόμον ἀεὶ τόνδε σέβοντας,

ubi cum τὰν καλοκαγαθίαν ἀνδρῶν idem sit quod καλοκαγαθοὺς ἄνδρας, accusativus participii σέβοντας potest recte applicari.[2])

III. Nominativus: a. Sed nullus alius casus, κατὰ σύνεσιν positus, in Graeco sermone est frequentior quam nominativus, ita tamen, ut haec structura tempora non attingat antiquissima, sed posteriore demum aetate longe lateque pateat[3]) idque in prosa oratione. Atque id est consentaneum; haec structura est aptissima, ubi qui a severis legibus grammaticis recedit simplici oboediens cogitandi rationi maxime subiectum logicum quod dicitur respicit idque imprimis vult efferri, quod fit in Thuc. III 36: περὶ δὲ τῶν ἀνδρῶν γνώμας ἐποιοῦντο, καὶ

---

[1]) Itaque Blaydesius (ad El. 479) non recte fecit, quod locum Antigonae cum El. 479 composuit.

[2]) versum quartum decimum, etsi a scriba postea additus est, tamen a poeta esse profectum persuasum habeo, quippe qui sit sententiae accommodatissimus; sin autem is versus spurius est, similis existit casuum enallage, cum ad *πολιάταις* referendum esset participium *σέβοντας*; quae anacoluthia non est comparanda cum Ch. 409, id quod vult Wilamovitzius, sed cum Plat. Phaedr. 275 A.

[3]) Heikel, de part. apud Herod. usu p 30.

ὑπ' ὀργῆς ἔδοξεν αὐτοῖς οὐ τοὺς παρόντας μόνον ἀποκτεῖναι, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἅπαντας Μυτιληναίους — ἐπικαλοῦντες. Participio soluto in nominativo posito verbum finitum est ita comparatum, ut facile subaudiatur verbum eiusdem sane notionis, quocum nominativus participii recte coniungatur, aut fit transitus proclivis ex structura passiva in activam, ut nominativus sequens nihil habeat offensionis. Propterea hic casus exstat vel post accusativum nominis: Eur. Hec. 970:

ὅτῳ γὰρ ὤφθην εὐτυχοῦσ', αἰδώς μ' ἔχει
ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσ', ἵν' εἰμὶ νῦν
κοὐκ ἂν δυναίμην προσβλέπειν ὀρθαῖς κόραις

ubi persona accusativo με expressa quasi efficit subiectum logicum, ut commode applicetur nominativus participii τυγχάνουσα; simile est Thuc. VII. 2. 2: καὶ τοῖς μὲν Συρακοσίοις καὶ ξυμμάχοις κατάπληξεις ἐν τῷ αὐτίκα οὐκ ὀλίγη ἐγένετο, εἰ πέρας μηδὲν ἔσται σφίσι τοῦ ἀπαλλαγῆναι τοῦ κινδύνου, ὁρῶντες . . ., ubi sequitur dativum τοῖς Συρακοσίοις κτλ. nominativus ὁρῶντες, cum Syracusani eorumque socii perterreantur aspicientes. Cuius proprietatis exempla possunt afferri permulta, tamen fere omnia ex prosa oratione petita. Nam Classenio ex Homeri carminibus sumenti [l. l. p. 135]

B 350: φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
ἤματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον
Ἀργεῖοι Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες,
ἀστράπτων ἐπιδέξι' ἐναίσιμα σήματα φαίνων

et T 258:

ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,
γῆ τε καὶ ἠέλιος καὶ ἐρινύες, αἵ θ' ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπους τίνυνται, ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ,
μὴ μὲν ἐγὼ κούρῃ Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπενεῖκαι
οὔτ' εὐνῆς πρόφασιν κεχρημένος οὔτε τευ ἄλλου.

qui loci et ipsi inter se dissimiles sunt, non possum assentiri. B 340 enim transit oratio obliqua in directam, ut illae notiones, quibus subiectum accusativi c. inf. determinatur, non in accusativo, sed in nominativo ponantur, cuius generis exempla sunt sine ulla offensione; altero loco (T 258) nomen

iam ipsum accepit primum casum, quem si participium quoque induit, mirum non est. Eiusmodi autem usus nominativi participialis qualis est Eur. Hec. 970 et Thuc. VII. 42. 2 neque apud Homerum invenitur neque apud Pindarum neque apud Sophoclem. Ex Euripide modo attulimus unum (Eur. Hec. 970); quod autem legimus Hel. 287:

τὸ δ' ἔσχατον τοῦτ', εἰ μόλοιμεν εἰς πάτραν
κλῄθροις ἂν εἰργοίμεσθα, τὴν ὑπ' Ἰλίῳ
δοκοῦντες Ἑλένην Μενέλεω μ' ἐλθεῖν μέτα.

mihi persuaderi non potest sanum esse hunc locum.[1]) Num Aeschylus hunc usum exhibeat, si quaerimus, negandum est; cuius si fabulas perlustraverimus, quoad codicis observabitur fides, exemplum inveniemus nullum. Unum obtrusit Aeschylo Hermannus, accepta Tricliniana emendatione scribens Prom. 561 K.:

χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος,
εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς,
ἄλευε δᾶ,
τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν.

omissa voce φοβοῦμαι, quam codex exhibet post δᾶ.[2]) Haec autem mutatio mihi quidem videtur non probabilis, quippe qua me iudice sententia parum adiuvetur. Verbum ἀλεύω enim, ut aliis locis Aeschyleis, ubi legitur, vim avertendi habens hoc quoque loco quadrat aptissime in sensum, ut regat accusativum εἴδωλον γηγενοῦς. Nam quomodo participium εἰσορῶσα ad χρίει possit adnecti, ego fateor me non intellegere, cum his verbis τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν causa non contineatur actionis, quam exprimunt verba χρίει μέ τις οἶστρος. Si recte sentio, desideratur orationis membrum, ex quo pendeat

---

[1]) Nonnulli id quod codice traditur defendunt velut Kuehnerus, qui dicit in gr. gr. nominativum participii esse ortum structura passiva in activam transeunte, quasi poeta scripsisset μ' εἴργοιεν ἄν. Huic iudicio non adstipulor non ideo, quod me offendit casuum enallage, sed quia ne persona quidem expressa est, quae participio δοκοῦντες significatur.

[2]) hanc coniecturam permulti secuti sunt; postremo Kussmahly 'Beobachtung. zu Prom., Pr. 1888 p 12.

participium εἰσορῶσα, non quod εἰσορῶσα ad με referri non possit, sed quia sensus enuntiationis postulat. Quod autem requiritur, codex exhibet. Sic enim verba in codice tradita vertenda sunt 'iterum me miserum excitat οἶστρος aliquis; effigiem Argi ex terra geniti prohibe, o terra! in terrorem adducor aspiciens illum pastorem mille oculis ornatum.' Quam graves sunt illae breves sententiae non copulatae! Perspicuum sit, quanta Io exagitetur concitatione. Quod ad metrum attinet, ne id quidem prohibet, quominus, quod traditum est, φοβοῦμαι, retineamus, ut de nominativo participii soluto non possit cogitari. Qui autem e Prom. affert v. 202 sqq:

ἐπεὶ τάχιστ' ἤρξαντο δαίμονες χόλου
στάσις τ' ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο,
οἱ μὲν θέλοντες ἐκβαλεῖν ἕδρας Κρόνον,
ὡς Ζεὺς ἀνάσσοι δῆθεν, οἱ δὲ τοὔμπαλιν
σπεύδοντες, ὡς Ζεὺς μήποτ' ἄρξοιεν θεῶν.

ut usum nominativi soluti post nomen alio in casu positum comprobet, eum relego ad ea, quae Hartzius exposuit.[1]) Nam οἱ μὲν θέλοντες non potest non adiungi ad praecedentia ἤρξαντο δαίμονες, ut quasi διὰ μέσου interpositum sit στάσις τ' ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο; et huc accedit, quod in his versibus inest appositio quae vocatur partitiva; de qua v. infra p 28. Apud Aeschylum ergo, ut repetam, non exstat eiusmodi usus, ut participii nominativus subsequatur, cum praecedat nominis alius casus; apud prosaicos contra hic usus latissime manavit, id quod non effugiet eum, qui Herodotum[2]) Thucydidem[3]) Platonem[4]) alios perlegerit; quorum exempla huc spectantia enumerare supersedeo.

b. At erunt, qui contendant exstare nominativos absolutos vel solutos qui dicuntur apud Aeschylum. Sane exstant; sed hi, etsi eodem appellantur nomine, aliter sunt comparati neque apud Aeschylum solum inveniuntur, sed apud omnes

---

[1]) Hartzius, de anacol. apud Aeschyl. et Sophoclem 1856. p 9.
[2]) Melander, de anacoluthis Herodoteis. p 10 sqq.
[3]) Kampfner, de anacoluthis apud Thucydidem. Münst. 1868. p 29.
[4]) Engelhardt, anacol. Platonic. spec. I—III [cf. III, p 40 sqq.].

fere scriptores Graecos. Praecedit nominativus participii, nominis alius casus sequitur, neque raro participio praemisso iunctum est nomen, ut id bis exprimatur, id quod non fieri in priore genere nominativi absoluti videmus. Huius structurae usum, quo liberior est, eo magis poetici sermonis proprium esse iudicandum est; quae autem exempla in prosa oratione legimus, videntur esse laxioris dicendi generis. Hic iam nominativus participii, qui in exordio enuntiationis positus est et quasi eam incipit, facile expeditur. Nominativus enim est casus subiecti atque tamquam imperium totius enuntiationis tenet; itaque est non mirum, sed consentaneum sententiam a primo casu incipi; ubi autem non sequitur praedicatum, quod desideratur, commune exstat anacoluthiae genus.[1]) Eiusmodi dicendi generis, quod ne Homerum quidem respuisse videmus (conferas velim I 356, ubi participia ῥέξας et νηήσας non eandem significant personam quae continetur verbo sequente ὄψεαι), exempla illustrissima atque audacissima inveniuntur apud Aeschylum, qui licentiam in hac structura adhibenda sibi permisit summam. Saepe enim nominativum participii praemissum sequitur apodosis, quae plane aliam habet formam atque quae exspectatur; saepe ne nomen quidem est expressum, quod praecedente participio significatur, ut interiore copula paene carere videantur et praemissum participium et apodosis sequens. Unum autem vinculum eo perspicitur, quod utraque sententia ad eandem personam pertinet, id quod non raro prorsus in universum indicatur; sic, ut exemplum ponam, loquitur Clytaemnestra Eum. 95, sqq.:

ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη
ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται.

---

[1]) ex hac anacoluthia colligere perversum est in Graeco sermone fuisse nominativi absoluti constructionem, quae similiter esset comparata atque genetivus absolutus; sic Geisleri [de nomin. q. v. absoluto cap. III] sententia improbanda est, cuius tota, ut addam, ratiocinatio posita est in fundamentis non veris. Quodsi vero idem sibi videtur repperisse, quid discriminis intersit inter genitivi et nominativi absoluti structuras, nititur eis exemplis, quae alia ratione explicanda sunt.

Nemo igitur negabit Aeschylum anacolutha huius generis admisisse audacissima, quae nonnulli, velut M. Schmidtius,[1]) non esse ferenda existimarunt, ut omnia huiusmodi exempla tollere atque illam loquendi rationem tam liberam Aeschylo demere non dubitaverint. Quod alii[2]) iure improbant; nam haec licentia indit huius poetae sermoni speciem loquendi illam tam singularem et grandem, quae est in nostra admiratione summa. Nam si locos, qui exhibent eiusmodi anacoluthiam, intuemur singulos,[3]) quantam in sententiis inesse videmus vim et gravitatem. Adspicias velim exemplum illud ex Eum. depromptum, ubi priori anacoluthiae continuatur et iungitur altera (v. 100):

παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων,
οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται.

quomodo qualis Clytaemnestrae sit condicio aptius describitur? — Alii poetae neque tam frequenter neque tam libere hac dicendi ratione usi sunt. Apud Pindarum certe nullum exemplum inveni; apud Sophoclem duobus modo locis exstat haec structura tam propria, quorum unus ad Aeschyli gravitatem prope accedit (Oed. R. 159):

πρῶτά σε κεκλόμενος, θύγατερ Διός, ἄμβροτ' Ἀθάνα,
γαιάοχόν τ' ἀδελφεὰν
Ἄρτεμιν, ἃ κυκλόεντ' ἀγορᾶς θρόνον εὐκλέα θάσσει
καὶ Φοῖβον ἑκαβόλον, ἰὼ
τρισσοὶ ἀλεξίμοροι προφάνητέ μοι . .

alter, id quod tenori totius loci consentaneum est, prosae orationis similis est (Phil. 547):

πλέων γὰρ ὡς ναύκληρος οὐ πολλῷ στόλῳ
ἀπ' Ἰλίου πρὸς οἶκον ἐς τὴν εὔβοτρυν
Πεπάρηθον, ὡς ἤκουσα τοὺς ναύτας ὅτι
σοὶ πάντες εἶεν συννεναυστοληκότες,

---

1) cf. annal. gymnas. austriac. 1864. p 123.

2) velut Heimsoethius 'Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus.' 1861. p 424.

3) talia exempla congessit Weeklinus Studien zu Aeschylus. Berol. 1872. p. 14.

ἔδοξέ μοι μὴ σῖγα, πρὶν φράσαιμί σοι,
τὸν πλοῦν ποιεῖσθαι, προστυχόντι τῶν ἴσων.[1])

cuius generis sunt maximam partem exempla, quae legimus apud Euripidem;[2]) confer Cycl. 329:

ὅταν δὲ βορέας χιόνα Θρῄκιος χέῃ
δοραῖσι θηρῶν σῶμα περιβαλὼν ἐμὸν
καὶ πῦρ ἀναίθων, χιόνος οὐδέν μοι μέλει.

vel. Hipp. 22: τὰ πολλὰ δὲ
πάλαι προκόψασ', οὐ πόνου πολλοῦ με δεῖ.

atque raro attingit illam Aeschyli gravitatem, velut Phoen 283:

μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
μαντεῖα σεμνὰ Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας,
ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν.

Remissior autem oratio eo maxime perspicitur, quod initio nominativus participii exstat, intervallo non longo interiecto verbum finitum sequitur, quod, etsi eandem vim habet atque verbum quod exspectatur, a forma non potest coniungi cum praecedente nomine. Atque id conspicitur in exemplis ex prosa oratione petitis;[3]) quae structura si a Xenophonte imprimis adhibita est, non est mirum, quippe quae consentanea sit eius ingenio; singularia autem sunt Hell. II. 3. 54[4]) et Cyr. IV. 6. 3, ubi scriptor iterum atque

---

[1]) quod Elmsleius [adn. ad S. O. R. 60] huc referendum duxit, non est referendum; nam in verbis O. R. 60:

νοσεῖτε πάντες, καὶ νοσοῦντες, ὡς ἐγώ,
οὐκ ἔστιν ὑμῶν, ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ.

participium habet nomen suum idque eodem casu; exprimitur enim enuntiatione relativa, quae quasi in vim pronominis *οὐδείς* abit; quodsi haec forma negativa et participium *νοσοῦντες*, ad quod positiva exspectatur, in unum quasi coniunguntur, non est cur admiremur; simile invenimus apud Xen. Hell. II. 2. 3: *ὥστ' ἐκείνης τῆς νυκτὸς οὐδεὶς ἐκοιμήθη, οὐ μόνον τοὺς ἀπολωλότας πενθοῦντες* vel apud Sophoclem ipsum in Ant. 1022:

οὐδ' ὄρνις εὐσήμους ἀπορροιβδεῖ βοὰς
ἀνδροφθόρου βεβρῶτες αἵματος λίπος.

[2]) Koch, de anacol. ap. Euripidem p 34 sqq.

[3]) neque apud Aristophanem huius dicendi generis exempla desunt, cf. Ach. 1165.

[4]) quocum loco comparandus est Thucydideus 3, 43. 3.

iterum aliquid novi addit, pluribus sententiis interpositis postremo adnectit apodosin, ita tamen ut ea ad formam protaseos non sit accommodata. — Iam vero ex eis quae dixi satis potest cognosci, quam diversum sit hoc genus posterius ab illo priore, etsi eodem vocatur nomine: sive κατὰ σύνεσιν sive nominativi absoluti.

c. Denique est afferendum tertium genus, quod quasi tenet medium inter duo, de quibus modo disputavimus. Huius quoque generis exempla adhibita sunt ad casuum enallagen, quae inest Choeph. 399, explicandam; qua de causa de eis breviter est dicendum. Graeci enim solent notiones quasdam, quibus nomen determinatur, etsi ad totum nomen non pertinent, sed ad unam eius pluresve partes, non hypotactice, sed paratactice adnectere, ut illae notiones eodem utantur casu, quo nomen, quod accuratius definitur, id quod lucide declarat illud Sophocleum Phil. 645:

ἀλλ' εἰ δοκεῖ, χωρῶμεν, ἔνδοθεν λαβὼν
ὅτου σε χρεία καὶ πόθος μάλιστ' ἔχει

ubi λαβὼν corrigi non licet; haud dissimile est Arist. Av. 203:

δευρὶ γὰρ ἐμβὰς αὐτίκα μάλ' ἐς τὴν λόχμην,
ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα,
καλοῦμεν αὐτούς.

Nonnulli afferunt Eum. 141:

εὕδεις; ἀνίστω, κἀπολακτίσασ' ὕπνον,
ἰδώμεθ' εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ,

quo loco id tamen spectandum est, cum sermo sit de choro, licere modo de una persona cogitari, modo de pluribus.[1])

Hic usus, quo orationis membra paratactice adnectuntur, ibi latissime patet, ubi singulae partes totum, quod est praemissum, sequuntur. Sic dicit Thucydides III. 34. 2: ἐν οὖν τῷ Νοτίῳ οἱ καταφυγόντες καὶ κατοικήσαντες αὐτόθι αὖθις στασιάζοντες, οἱ μὲν — ἐπαγόμενοι εἶχον καὶ τῶν ἐκ τῆς ἄνω πόλεως Κολοφωνίων

[1]) hunc usum quasdam notiones adnectendi observans studuit Hermannus Pers. 850 sic restituere:

ἀλλ' εἶμι, καὶ λαβοῦσα κόσμον ἐκ δόμων
ὑπαντιάζειν παιδὶ πειρασώμεθα.

quae coniectura non omnibus probatur.

οἱ μηδίσαντες ξυνελθόντες ἐπολίτευον, οἱ δὲ ὑπεξελθόντες τούτους καὶ ὄντες φυγάδες τὸν Πάχητα ἐπάγονται. Saepe autem de toto iam aliquid dictum est, deinde partes adduntur ita, ut participialem formam induant, velut in Herod. I, 192: ἵπποι δέ οἱ αὐτοῦ ἦσαν ἰδίῃ — οἱ μὲν ἀναβαίνοντες τὰς θηλέας ὀκτακόσιοι, αἱ δὲ βαινόμεναι ἑξακισχίλιαι καὶ μύριαι. Verum si totum in enuntiato primario non primum casum obtinet, tamen quasi agens cogitandum est, sequuntur saepe partes, si singulae enumerantur, non eodem casu praeditae, sed accipiunt nominativum similiter atque hunc casum exhibent exempla primi generis (cf. p. 21 sq.); qua re distat hic ordo tertius ab primo, id est, quod partes fere non participio solo utuntur, sed nomen vel praenomen additum habent, ut participium ipsum appareat non solutum; cuius rei est exemplum luculentissimum: καὶ τὰ περὶ Πύλον ὑπ' ἀμφοτέρων κατὰ κράτος ἐπολεμεῖτο, Ἀθηναῖοι μὲν δυοῖν ἐναντίαιν ἀεὶ τὴν νῆσον περιπλέοντες τῆς ἡμέρας, Πελοποννήσιοι δὲ ἐν τῇ ἠπείρῳ στρατοπεδευόμενοι καὶ προσβολὰς ποιούμενοι τῷ τείχει. (Thuc. IV, 23, 2.) Nomine omisso hoc tertium genus propius accedit ad primum; sic intellegendum est Thuc. IV. 108: καὶ γὰρ καὶ ἄδεια ἐφαίνετο αὐτοῖς, ἐψευσμένοις μὲν τῆς Ἀθηναίων δυνάμεως ἐπὶ τοσοῦτον ὅση ὕστερον διεφάνη, τὸ δὲ πλέον βουλήσει κρίνοντες ἀσαφεῖ ἢ προνοίᾳ ἀσφαλεῖ. . . Haec appositio quae vocatur distributiva occurrit ab Homeri aetate[1]), sed ille usus, quo tam libere partes adduntur quam in Thuc. IV, 23, 2 (v. s.), raro exstat apud poetas atque imprimis orationi prosae vel sermoni vulgari tribuendus est. Qua cum re id congruit, quod illa exempla apud poetas inventa in eis orationis partibus leguntur, ubi loquuntur homines de plebe. Sic nuntius quidam refert Soph. Ant. 259:

λόγοι δ' ἐν ἀλλήλοισιν ἐρρόθουν κακοί,
φύλαξ ἐλέγχων φύλακα.

Simili modo narrat nuntius Phoen. 1462:

ἀνῇξε δ' ὀρθὸς λαὸς εἰς ἔριν λόγων,
ἡμεῖς μὲν ὡς νικῶντα δεσπότην ἐμόν,
οἱ δ' ὡς ἐκεῖνον.

---

[1]) Classen Homerische Beobachtungen p. 135.

et Bacch. 1131: ἦν δὲ πᾶσ' ὁμοῦ βοή,
ὁ μὲν στενάζων ὅσον ἐτύγχανεν πνέων,
αἳ δ' ἠλάλαζον.[1])

Trium ergo generum nominativi qui vocatur soluti sive absoluti in nostram cadit quaestionem primum, quod participium re vera a nomine solutum habet. Nominativus igitur, ut repetam, κατὰ σύνεσιν nomini iunctus (id est a verbo finito excitatus) superioribus temporibus fuit infrequens, certe quidem apud poetas, in quibus apud Aeschylum quoque, ut huius poetae fabulis hunc casum inferre, non stabilitum codicis fide, vereri debeamus.

§ 3.

a. Non modo verbum finitum efficit, ut participium casum alium induat atque nomen, sed etiam aliud orationis membrum, si exstitit, participium a nomine solvit, ut discrepantia casuum oriatur, dico ea exempla, in quibus propter interiectum orationis membrum enallage casuum inter nomen et participium excitatur; Soph. O. C. 1361 legimus:

οὐ κλαυτὰ δ' ἐστίν, ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οἰστέα
τάδ' ὥσπερ ἂν ζῶ, σοῦ φονέως μεμνημένος.

Dindorfio ad h. l. dicenti: 'Quod sequitur μεμνημένος, etsi defendi aliquo modo potest, tamen longe verisimilius est scripsisse poetam, quod restitui sc. μεμνημένον' nihil esse video, cur assentiamur. Nam nominativus μεμνημένος intellegitur ex verbis interiectis ὥσπερ ἂν ζῶ.[2]) Atque haud dubito, quin hoc Euripideum Med. 590:

εὖ τόδ' ἴσθι, μὴ γυναικὸς οὕνεκα
γῆμαί με λέκτρα βασιλέως, ἃ νῦν ἔχω,
ἀλλ' ὥσπερ εἶπον καὶ πάρος, σῶσαι θέλων
σὲ καὶ τέκνοισι τοῖς ἐμοῖς ὁμοσπόρους
φῦσαι τυράννους παῖδας, ἔρυμα δώμασιν.

---

[1]) ex oratione prosa, ut exemplum ponam, afferatur simillimum Xen. Hell. II. 2. 3: *καὶ οἰμωγὴ ἐκ τοῦ Πειραιῶς διὰ τῶν μακρῶν τειχῶν εἰς ἄστυ διῆκεν, ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλων.*

[2]) Si in codice esset traditus accusativus *μεμνημένον*, causa discrepantiae casuum aliunde esset repetenda atque loco Aeschyleo Ch. 399, quem iniuria comparavit Dindorfius [cf. § 3 b. fin.]

eodem modo intellegendum sit, quo illud Sophocleum (O. C. 1361), cum nominativus θέλων efficiatur interpositis verbis ὥσπερ εἶπον καὶ πάρος.[1]) Ergo in eiusmodi exemplis quoque, in quibus nomen ac participium non eundem casum habent, causa huius discrepantiae perspicua est.

b. Restat iam unum genus, de quo dicendum est, quia permulti viri docti eo errore ducti sunt, ut id cum eo dicendi genere compararent, quod exstat Choeph. 399.[2]) Persaepe enim participium, si fungitur vice praedicativa apud infinitivum, praemisso nomini non est accommodatum quoad casum, non accommodatum autem induit accusativum. Quodsi participium habet eundem casum quem nomen praecedens, dicunt grammatici 'attractionem in infinitivo fieri'.[3]) Disceptatur quidem, utra structura sit genuina — quae quaestio cohaeret cum altera de accusativi cum infinitivo origine; sed Fleischerus, sicut recte iudicavit de huius constructionis primordiis,[4]) ita recte me iudice intellexit structuram attractionis

---

[1]) Alii malunt hanc anacoluthiam effecisse illud studium tam proprium Graeci sermonis vincula orationis obliquae solvendi, id quod perspicitur B 350 (v. p 22.).

[2]) Hoc fecerunt cum alii tum Bellermannus, cum ad El. v. 4?9 (ed. Wolff) compararet Xen. Cyr. II. 1. 15 ἔξεστιν ὑμῖν λαβόντας ὅπλα εἰς τὸν κίνδυνον ἐμβαίνειν, ubi accusativus λαβόντας ex iuncto inf. ἐμβαίνειν pendet. Sed iam Lobeckius (ad Ai 1006) recte intellexit duo genera accusativi participii diversa esse [cf. Herm. ad. O. C. 1436.].

[3]) de qua re multi disputaverunt. Praeter grammaticos (Kruegerume I, 55, 2. 5—7. Kuehnerum II p 590) affero:

Classen, Homer. Beobachtungen 1867 p 140.
Fleischer, de primordiis acc. c. inf. 1870.
Wrobel, de generis, numeri, casuum anacol. ap. Graec. poet. tr. 1872.
Krause, de attractionis usu in inf. trag. 1871.
Friese, de trag. gr. casibus absolutis q. d. 1875.
Koch, de anacoluthis ap. Euripidem. Halle 1881.
Kampfner, de anac. ap. Thucyd. 1868.
Michaelis, de inf. usu Thucyd. 1886.
Mueller, observationes de elocut. Lysiacae 1877.

[4]) Fleischer l. l.: accusativus initio fuit obiectum verbi finiti; quae ratio fiebat solutior, cum ille accusativus cum inf. coniunctus peculiarem quandam structuram efficere videretur; quae explicandi ratio probatur

omissae recentiorem esse, attractionis factae priorem. Sed certum praeceptum, ad quod utriusque structurae usus revocatus sit, nullum invenimus.[1] Immo, etsi ille attractionis omissae usus in sermone Graeco longe lateque fluxit, tamen omnes scriptores eum non uno eodemque modo complexi sunt: alter maluit fieri attractionem, alter noluit. Nam manifestum est inter duas structurae rationes aliquid discriminis esse credendum; ubi enim attractio omittitur, ibi infinitivus eiusque praedicativae notiones quasi in unum coalescunt atque vim accipiunt generalem, haec sententia generalis deinde revocatur ad certam personam in enuntiato primario expressam. Ut autem sententias duas inter se conectat, legenti vel auditori permissum est. Id probatur hoc exemplo; Agamemnon loquitur (Ag. 886):

ἐν ποικίλοις δὲ θνητὸν ὄντα κάλλεσιν
βαίνειν ἐμοὶ μὲν οὐδαμῶς ἄνευ φόβου.

illud θνητὸν ὄντα βαίνειν est in universum dictum, quod refertur ad loquentem in enuntiato primario per formam ἐμοὶ significatum. Itaque omnes infinitivi, quorum praedicativae notiones non habent, quo referantur, abeunt in vim universam; cuius generis est Prom. 388 K:

ἔα με τῇδε τῇ νόσῳ νοσεῖν, ἐπεὶ
κέρδιστον εὖ φρονοῦντα μὴ φρονεῖν δοκεῖν.

Huic rei respondet, quod nonnumquam etiam participium ex infinitivo pendens alium exhibet numerum atque nomen suum, qualis enallage cernitur Plat. Symp. 184 B: ἐπὶ τοῖς ἐρασταῖς ἦν δουλεύειν ἐθέλοντα ἡντινοῦν δουλεύειν παιδικοῖς; exspectatur attractione omissa pluralis numerus ἐθέλοντας.[2]) vel Eurip. Hel. 510:

---

permultis, velut Curtio [Erläuterung. p 199] Delbrueckio (synt. p 124) Brugmannio [Hdb. II, 105]; aliter iudicat Schoemannus [Redeteile p 36.].

[1]) Perverse agit Wrobelius (l. l. p 105) qui quando utraque esset adhibita invenisse sibi videtur, cuius opinionem refutatur Kochius l. l. p 36.

[2]) Ex hoc usu, quo quasdam notiones ad praecedens nomen applicandas Graeci solent ad infinitivum referre, explicatur etiam illud, quod legimus in Rhes. 107:

κακῶν δ' ἐν ἡμῖν ἔσχατον τοῖς ἀθλίοις
ἄλλους τυράννους αὐτὸν ὄντα βασιλέα
βίον προσαιτεῖν.

Persaepe huic infinitivo generale aliquid significanti praemittitur pronomen demonstrativum, quod quasi sequentem sententiam per infinitivum expressam complectitur; conferas velim hoc Pindaricum (Pyth. IV, 288): φαντὶ δ'ἔμμεν | τοῦτ' ἀνιαρότατον καλὰ γιγνώσκοντ' ἀνάγκᾳ ἐκτὸς ἔχειν πόδα.[1]) Multi autem scriptores attractionem in infinitivo fieri maluerunt eamque fecerunt etiam, ubi nomen non est expressum, sed facile subauditur, ut participium non accusativum accipiat, sed eum casum, in quo ponendum est nomen subintellectum, ut in Soph. fr. 510:

ἀλλ' εἰ μὲν ἦν κλαίουσιν ἰᾶσθαι κακὰ
καὶ τὸν θανόντα δακρύοις ἀνιστάναι,
ὁ χρυσὸς ἧσσον κτῆμα τοῦ κλαίειν ἂν ἦν.

Haec in universum de attractione in infinitivo facta et non facta. Illa igitur structura attractionis omissae, etsi est recentior, caret ne Homerus quidem,[1]) atque invenitur apud omnes scriptores.[2]) Quod autem attinet ad poetas tragicos —

ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας
σὲ μὲν μάχεσθαι, τοὺς δὲ βουλεύειν καλῶς.
infinitivus enim enallagen casuum effecit; propterea duco cum Nauckio [Eur. Stud. II. 168] faciendum non esse, qui proposuit καλόν scribendum pro καλῶς; at — id quod nonnulli fecerunt — ne illud quidem exempli causa ponendum est, ut differentiam casuum qualis est Ch. 399 firmemus atque illustremus.

[1]) Classen Homer. Beob. p 140. Fleischer l. l.

[2]) sic exhibet Pindarus attractionem neglectam Ol. 1. 8 sqq. et Isthm. 5, 21, atque Aristophanes multo saepius, quos locos hic enumerare non est supervacaneum, cum adhuc nemo hunc subierit laborem: Nub. 998, 1406, Vesp. 242, 270 [memorabilis est hic locus, cum post nomen in singulari numero positum exstet accusativus participii pluralis numeri cf. Herod. 3, 62], Vesp. 689, Pax. 127, Thesm. 673, 812, Eccl. 1019, Plut. 552, 797, Ran. 534, 590, Eq. 30. Neque raro in prosa oratione omissa est attractio idque etiam, ubi participium prope abest a nomine (Cyr. I. 2, 15); confer quae ex Herodoto collegit Heilmannus (de inf. Herod. 1879, p 27), ex Thucyd. congessit Michaelis (p. 46); neque desideramus hanc structuram in antiquissimo orationis prosae

nam de Aeschylo imprimis agetur — Aeschylus plerumque attractionem neglexit, Sophocles eam fere fecit neque omisit nisi certis condicionibus, Euripides medium tenuit, cum duas promiscue usurparet structuras. Ut id quod dixi accuratius exponam, Aeschylus — id quod consentaneum est illi rationi, qua hic poeta sententias simpliciter aliam iuxta aliam ponit, non artificiose copulatas coniungit — attractionis non admittendae fuisse videtur curiosissimus; nam eam neglexit non solum, ubi nomen praecedens habet casum obliquum (cf. Ag. 26, 328, 886, 1153, 1375, 1538 [1581]. Ch. 685, 1027. Eum 612, 792, 851),[1] sed etiam ubi ex Graeci sermonis usu non fuit attractionem omittere id est in eis enuntiationibus, in quibus infinitivus et sententia primaria idem subiectum habent, ut praedicativae notiones infinitivi in nominativo essent ponenda; sic scribit Aeschylus Ag. 458:

τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος
φλογὸς παραγγέλμασι
νέοις πυρωθέντα καρδίαν ἔπειτ'
ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν;

---

atticae monumento (Ps. Xen. d. r. p. Ath.); tamen frequentior est in hoc libro attractionis usus, quae etiam fit, ubi nomen non est expressum (II. 29); Xenophon autem ipse persaepe neglexit attractionem [An. 3, 21, 1, Cyr. II. 1, 15, Hell. 4, 3, 4 etc.]; ex Platonis libris affero Alc. II. p 149, ubi ob rhetoricas causas attractio facta non est, cum Troiani opponerentur deis.

[1]) attractio invenitur Eum. 872; memorabilis est locus Prom. 219:

*κράτιστα δή μοι τῶν παρεστώτων τότε
ἐφαίνετ' εἶναι προσλαβόντι μητέρα
ἑκόνθ' ἑκόντι Ζηνὶ συμπαραστατεῖν.*

ubi participium eundem accepit casum quem nomen praecedens, adiectivum non accepit. Sed non arbitror cum Wecklino *προσλαβόντα* esse scribendum; nam dativo *προσλαβόντι* servato mihi quidem videtur Aeschylus enuntiatum pulchrius atque concinnius omnino non potuisse efferre, nam cum praecedente dativo *προσλαβόντι* ad *μοι* relato accusativus *ἑκόντα* cum dativo *ἑκόντι* coniunctus sit, eo clarius eminet, quantopere Jovi auxilio Titanis opus fuerit atque quam libenter Prometheus sua sponte cum eo sua consilia consociaverit, ut condicio Promethei in scena eo gravior appareat atque miserior.

Choeph. 468: κἀγώ, πάτερ, τοιάνδε σου χρείαν ἔχω
φυγεῖν μέγαν προσθεῖσαν Αἰγίσθῳ [μόρον].

Suppl. 316: ἐπεὶ τίς ηὔχει τήνδ' ἀνέλπιστον φυγὴν
κέλσειν ἐς Ἄργος κῆδος ἐγγενὲς τὸ πρὶν
ἔχθει μεταπτοιοῦσαν εὐναίων γάμων;

qui loci tam miri criticis videbantur, ut eorum libidinem corrigendi non effugerent. Sed Aeschylea elocutio docet hanc abnormem structuram non esse tollendam.[1]) Sophocles caret hac licentia; nam perversum est sic intellegere O. R. 1193:

τίς γάρ, τίς ἀνὴρ πλέον
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει
ἢ τοσοῦτον, ὅσον δοκεῖν
καὶ δόξαντ' ἀποκλῖναι;

ubi Krause aliique exspectant nominativum δόξας pro δόξαντ'; sed δόξαντ' est referendum ad ἀποκλῖναι, qui infinitivus simul cum praecedente δοκεῖν quasi unam notionem facit eamque generalem, quae introducitur per pronomen ὅσον; itaque δόξαντ' accusativus nihil habet offensionis. Potius hunc poetam, si eius fabulas perlustraverimus, attractionem omissam tamquam inusitatam evitasse inveniemus, id quod dilucide apparet ex tribus locis, qui attractionem habet non factam:

Ai 1006: ποῖ γὰρ μολεῖν μοι δυνατόν, εἰς ποίους βροτοὺς
τοῖς σοῖς ἀρήξαντ' ἐν πόνοισι μηδαμοῦ;

El. 958: ποῖ γὰρ μενεῖς ῥᾳθυμος; ἐς τίν' ἐλπίδων
βλέψασ' ἔτ' ὀρθήν; ᾗ πάρεστι μὲν στένειν
πλούτου πατρῴου κτῆσιν ἐστερημένῃ,
πάρεστι δ' ἀλγεῖν ἐς τοσόνδε τοῦ χρόνου
ἄλεκτρα γηράσκουσαν ἀνυμέναιά τε.

O. C. 87: ὅς (sc. Φοῖβος) μοι, τὰ πόλλ' ἐκεῖν' ὅτ' ἐξέχρη
ταύτην ἔλεξε παῦλαν ἐν χρόνῳ μακρῷ

---

[1]) Schuetzius, exempli causa, in Suppl. versibus scribendum proposuit *κέλσειν μ' Ἄργος;* eodem spectat Canteri coniectura, cui Ch. 468 ponendum videbatur:

κἀγώ, πάτερ, τοιάνδε σου χρείαν ἔχω
φυγεῖν με λαμπρὸν θεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον,

quod iam improbavit Hermannus.

ἐλθόντι χώραν τερμίαν, ὅπου θεῶν
σεμνῶν ἕδραν λάβοιμι καὶ ξενόστασιν,
ἐνταῦθα καμψειν τὸν ταλαίπωρον βίον,
κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,
ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν, οἵ μ' ἀπήλασαν.

Haec tria exempla qui accuratius intuebitur, facile perspiciet quid discrimines intersit inter haec et ea, quae apud alios scriptores exstant. Quod plane cognoscitur hoc exemplo: apud Euripidem loquitur Medea (v 1215):

φίλαι δέδοκται τοὔργον, ὡς τάχιστά μοι
παῖδας κτανούσῃ τῆσδ' ἀφορμᾶσθαι χθονὸς
καὶ μὴ σχολὴν ἄγουσαν ἐκδοῦναι τέκνα
ἄλλῃ φονεῦσαι δυσμενεστέρᾳ χερί.

apud Sophoclem Electra dicit (v 958):

ᾗ πάρεστι μὲν στένειν
πλούτου πατρῴου κτῆσιν ἐστερημένῃ,
πάρεστι δ' ἀλγεῖν ἐς τοσόνδε τοῦ χρόνου
ἄλεκτρα γηράσκουσαν ἀνυμέναιά τε.

Duo loci videntur plane eiusdem generis esse. Quid? Re vera hos prorsus eodem modo esse comparatos censebimus? Minime. Nam apud Euripidem illa verba κτανούσῃ ἀφορμᾶσθαι et μὴ ἄγουσαν ἐκδοῦναι ex uno verbo finito δέδοκταί μοι pendent, apud Sophoclem repetitum est verbum regens πάρεστι, idque sine pronomine, ut apte ille infinitivus alter generaliter expressus applicaretur. Id esse Sophoclis proprium iudico, ut, cum infinitivum attractione neglecta in vim abire universam sentiret eumque sic non apte cum certo nomine coniungi, quasi denuo enuntiatum inceperit, sive repetita coniunctione sive verbo iterum expresso. Sic primo loco, quem attuli, ponit ἐς ποίους βρότους, ut repetatur, quod inest in ποῖ; sic altero loco iteratur πάρεστι; sic tertio ἐνταῦθα additur, ut quasi denuo enuntiatio ordiatur. Huic rationi respondet, quod Sophocles attractionem fecit, etiam ubi fere non invenitur[1])

[1]) qualis est locus Euripideus (Iph. Taur. 907):
σοφῶν γὰρ ἀνδρῶν ταῦτα, μὴ 'κβάντας τύχης
καιρὸν λαβόντας ἡδονὰς ἄλλας λαβεῖν.
cf. Classen, Homer. Beobachtungen p 140.

i. e. ubi nomen praecedens est in casu secundo, velut hic poeta scribit Phil. 1140:

Ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν,
εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
ἐξῶσαι γλώσσαις ὀδύναν.

ubi alii scriptores εἰπόντα posuissent.[1]) Ubicumque autem apud Sophoclem accusativus participii in infinitivo exstat, omissum fere est nomen quoque — etsi persaepe cogitatur de certa persona — ut illa casuum descrepantia inter nomen et participium evitaretur.[2])

Ut cernitur ex Med. versibus (v. s), Euripides non sicut Sophocles attractionem effugit, sed duas promiscue structuras usurpavit. Plurima autem attractionis neglectae exempla inveniuntur in Medea[3]) (v. 660, 763, 804, 884, 1235); ex reliquis fabulis sunt memoranda: Or. 1656, El. 1256, Hec. 538, Hel. 511, Troad 925, I. T. 907, Herc. fur. 1334, Suppl. 1171, Phoen. 754. Neque rarius idem poeta attractionem in infinitivo fecit.[4])

Iam ex eis, quae disputavimus, elucet accusativum participii, si exstitit infinitivo iuncto, nihil habere quod offendat, sed explicari ex hoc ipso infinitivo. Inusitatior est hic accusativus, si infinitivus non expressus, sed quasi latens est audiendus, velut si legimus Eur. Hipp. 490:

ᾧ τάχος διοιστέον
τὸν εὐθὺν ἐξειπόντας ἀμφὶ σοῦ λόγον.

---

[1]) Quamobrem duco non esse corrigendum, quod in codice traditur Ai. 1007:

καίτοι κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς ἄνδρα δημότην
μηδὲν δικαιοῦν τῶν ἐφεστώτων κλύειν.

nonnulli mutaverunt; velut Reiskius proposuit καίτοι κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς ὄντα δημότην, quod alii defenderunt [Meinek. An. Soph. p 286], alii in textu posuerunt [Nauck.].

[2]) huic observationi videntur repugnare Ant. 834 sqq., qui versus sani non sunt; itaque quamdiu certa emendatio prolata non est, ad comprobandum attractionis omissae usum assumi non possunt.

[3]) quae res Elmsleium in eum errorem duxit, ut structuram, quae attractionem habet omissam, elegantiorem esse existimaret (cf. adn. eius ad v. 365), cui opinioni iure repugnavit Hermannus [in Elmsl. editione Med. p 393].

[4]) Koch. l. l. p 36.

ubi ἐξειπόντας positum est, tamquam praecessisset δεῖ διειδέναι. Ex hac verbi forma, ut διιστέον, quam facile infinitivus audiatur, elucet ex eis exemplis, ubi initio exstat adiectivum verbale, deinde in infinitivum transit, quasi verbum δεῖ antecedat; quale legimus apud Platonem Crit. 51 B.: ἀλλὰ ποιητέον ἃ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις καὶ ἡ πατρὶς ἢ πείθειν αὐτήν. . .[1]) Itaque nemo mirabitur, si tali verbi formae participii accusativus iunctus est, id quod videmus Eur. loco. Hipp. 490, quocum comparandi sunt Aristoph. Eccl. 875, Plat. repub. 5 p 453, Aristid. tom. I p 19.[2]) Hoc eodem modo esset explicandus accusativus participii Soph. O. C. 1361 (μεμνημένον), si modo in codice traditus esset (cf. p 30).

Haec sunt genera, quae participium habent in alio casu positum, in alio casu nomen; atque haec sunt exempla, quae et ipsa diversissima esse iam satis ex eis quae adhuc disputavi elucet, a viris doctis adhibita, ut illam anacoluthiam explanarent atque illustrarent, quae exstat locis, quos nobis proposui tractandos. Itaque iam in altera parte disputatiunculae puto id meum futurum esse, ut videam, num re vera illis exemplorum generibus ea proprietas, quae invenitur Ch. 399, El. 479, Pers. 890, expediatur; si minus, ut investigem, quomodo discrepantia casuum inter participium et nomen recte explicetur.

Pars II.

Quasi campo purgato accedens ad alteram partem antea breviter complectar, quod priore parte didicimus. Didicimus autem haec: Participio a nomine soluto genetivus fere est positus inde ab Homeri aetate; apud Homerum ipsum singillatim dativus quoque, ut uterque casus absolute usurpatus videatur (II § 1 p 9 sqq.). Deinde constructio κατὰ σύνεσιν efficit, ut participium alium casum accipiat atque nomen

---

[1]) quod dicendi genus non abhorret a sermone Latino [cf. Schmalz. Iw. Mueller Hdbch. II. 394].

[2]) hunc locum Abreschius (adn. ad Ch. 399) attulit, sicut Dindorfius (El. 479) comparavit Plat. Rep. 5, 453, ut casuum enallage qualis est Ch. 399 illustraretur.

eumque casum, quem verbum finitum postulat, sive quod dupliciter construi potest, sive quod proclivi transitu in aliud verbum eiusdem notionis abit; hac ratione plerumque nominativus usurpatus est (II § 2 p 17 sqq.). — Denique aliud orationis membrum alienavit participium a nomine, sive infinitivus iunctus sive sententia interiecta (II § 3 p 30). Quod autem attinet imprimis ad accusativum — nam de hoc casu maxime agitur — is casus excitatur aut ex sententia ipsa id est a verbo regente, id quod est infrequens (p 20), aut ponitur propter infinitivum iunctum, id quod persaepe factum est (p 31), aut per particulam ὡς introducitur (p 14), aut explicatur per veram anacoluthiam (p 16); sed ne statuamus accusativum vere absolutum, caveamus necesse est.

§ 1.

Ac primum quidem apparet anacoluthiam eis locis, unde tota disputatio profecta est, eiusmodi non esse, ut totius enuntiati conformatio convellatur; talis anacoluthia existeret, si accusativus participii in initio sententiae positus esset; haberemus tum eandem conformationem, velut Eur. Troad. 1209 vel. O. C. 766 (cf. p 16), ut accusativus re vera esset anacoluthice positus eodem modo quo ceteri casus, ut in Plat. Symp. 182 d dativus participii ἐνθυμηθέντι regimine suo destituitur; quem usum sequitur imprimis nominativus (cf. p 24).

Iam vero, quoniam verbum finitum cum nomine coniunctum praemissum est participii accusativo, videamus, num is casus κατὰ σύνεσιν id est propter verbum finitum positus sit. Hoc igitur verbum quomodo est conformatum tribus singulis locis? Periphrases affectum quendam exprimentes efficiunt verbum finitum. Ex talibus autem quales habemus Ch. 399, El. 479, Pers. 894 posse accusativum obiecti suspendi notum est: ne exemplum desideretur, revoco legentem ad Aesch. Suppl. 547 sqq.: βροτοὶ δ' οἳ γᾶς τότ' ἦσαν ἔννομοι

χλωρῷ δείματι θυμὸν
πάλλοντ' ὄψιν ἀήθη,
βροτὸν εἰσορῶντες δυσχερὲς μιξόμβροτον,
τὰν μὲν βοός, τὰν δ' αὖ γυναικός.

Hoc idem verbum πάλλεσθαι posuit poeta, quod Ch. 399; atque e vocibus πάλλονται θυμόν aptus est accusativus ὄψιν ἀήθη, quo exprimitur, quid excitaverit perturbationem chori vehementem.[1]) Sed ab hoc accusativo est diversus ille accusativus participii κλύουσαν in Ch. 399; eiusdem generis esset Choephororum locus, si participium κλύουσαν omissum esset, ut οἶκτον ad πέπαλταί μοι κέαρ eodem modo accommodaretur, quo ὄψιν ἀήθη ad πάλλονται θυμὸν χλωρῷ δείματι, cum οἶκτον sicut ὄψιν ἀήθη significaret, quid personam enuntiato primario expressam sollicitaret. Itaque Paleius (adn. ad El. 479), saltem Choeph. 399, ad normam illius loci Supplicum mutare voluit; aliud enim participium, nempe χέουσαν, intulit pro tradito: κλύουσαν, ut primum quidem huius participii accusativus non esset revocandus ad eandem personam atque pronomen μοι; deinde apte penderet ex periphrasi praecedente, cum verba χέουσαν τόνδε οἶκτον nihilominus quam οἶκτον solum causam afferrent affectus significati. Sane habet haec corrigendi ratio aliquid speciosi, sed quid ceteris locis qui simillimi sunt (Pers. 890 et El. 479) faciendum esset, non demonstravit Paleius.

Iam videamus, num sententia ipsa effecerit accusativum participii. In omnibus tribus locis (Ch. 399. El. 479. Pers. 890) exstat pronomen personae primae, sive forma μοι sive ἐμῶν posita est. Quod cum ita sit, periphrases ipsae, quae habent illud pronomen, proclivi transitu ita vertuntur (p. 21 sqq.), ut in eis, quae subsequuntur, persona praecedente nomine expressa subaudiatur quasi subiectum. Quid ergo? Nonne hos locos integros esse censeremus, si posuisset poeta nominativum κλύουσα vel προσιδών? Quam in sententiam eo magis adducimur, quod Graeci in eis periphrasibus, quae affectum quendam exprimunt, eam personam, quae affectu movetur, efferri malunt[2],) ut saepius dicatur exempli causa πάλλονται θυμὸν

[1]) hoc dicendi genus crebrum est ap. Sophoclem, qui saepe accusativum obiecti non ex simplicibus verbis, sed circumlocutionibus facit pendentem. (cf. Trawinski, de acc. ex phras. apto ap. tr. gr. 1865. Böttger, de singulari quadam verbi periphrasi ap. Soph. 1879.)

[2]) Delbrueck, synt. graec. p 32.

id quod legimus Suppl. 547 (v. s.) quam πέπαλταί μοι κέαρ, quod invenitur Ch. 399. Quid? Licetne restituere tribus locis (Choeph. 399. El. 479. Pers. 890) nominativum quem vocant absolutum?[1]) At obstat metrum; deinde repugnat, quod Aeschyli temporibus, saltem apud poetas, infrequens fuit is usus, quo nominativus participii adnectitur alii nominis casui. Quo igitur, quaeso, iure haec structura, qualis est his tribus locis, potest appellari κατὰ σύνεσιν, id quod permulti fecerunt; sententia ipsa postulat nominativum participii sic ut paene dici possit eam obscurari per accusativum.

Nihil videtur esse, quod effecerit accusativum. Nam frustra investigabimus infinitivum, ex quo suspendatur participii accusativus. Infinitivum Brunckius quidem cum ex nomine periphraseos repetere conaretur, hoc fieri non posse nisi El. 479 non intellexit;[2]) nam qui potest ex verbo κέαρ infinitivus talis depromi, qualem habemus θαρσεῖν petitum ex θάρσος? non exstat nomen verbale; atque idem valet de Persarum versibus.

Neque ullum aliud orationis membrum legimus, propter quod accusativus participii positus sit.

Neque particula ὡς deprehenditur, quae regat accusativum participii; et qui eam textui inferre vult vel subintellegi, eum impedit sententia: choro trepidat animus, non quia putat aliquid se audire, sed quia re vera audit (vel videt).

Putasne vero enodasse difficultatem Elmsleium, cum hunc casum pro absoluto venditaret? (v. p. 14.) Minime. Duae rationes prohibent, primum quod accusativus ex natura suapte absoluti casus vice non potest fungi (v. p. 13); deinde eadem ratio, quae ne genetivus absolutus restituatur, repugnat,[3]) cum actiones participii et enuntiati primarii arte sint conexae.

---

[1]) hunc casum exhibet codex Parisinus El. 479: κλύουσα; Herwerdenus scribendum εἰσιδὼν (Pers. 890) proposuit.

[2]) Dicit enim (ad El. 479) verbale nomen positum esse pro verbi infinitivo, ex quo penderet accusativus participii: ὕπεστί μοι θαρσεῖν ἀδυπνόων κλύουσαν ἀρτίως ὀνειράτων vel subintellegi verbum e proximo nomine arcessendum: ὕπεστί μοι θάρσος, ὥστε θαρσεῖν ἐμὲ κλύουσαν.

[3]) cf. de genet. absol. p 42.

Censeamusne denique participia illa simili modo, quo aliquot substantiva, certarum formularum speciem accepisse? Id non est verisimile; nam diversas formas ex diversis verbis derivatas habemus.

Cum igitur nihil inveniri videatur, quod exegerit accusativum, et fuisse et esse non est mirum, qui illam orationis insolentiam qualibet tollere mutatione conarentur. Sed ut taceam metrum, quod ne corrigatur impedit, quem casum censeamus esse restituendum? Dativum; nam hunc casum postulat doctrina grammatica; ac profecto nonnulli ita scripserunt (velut Blaydesius); sed quomodo intellegamus, si a poeta dativus profectus esset, librarios in accusativum aberraturos fuisse idque tribus locis simillimis? Genetivum quoque maluerunt aliquot viri docti poni;[1]) sed hic casus, qui maxime exspectatur participio soluto (cf. p. 9), hic non est aptus sententiae. Quamquam Pers. 895, ut exposuimus p. 6, vel exigunt grammaticae leges, ut participium in genetivo ponatur, cum forma ἐμῶν praecedat,[2]) tamen ceteri loci repugnant; genetivus enim restitutus, cum prae se ferat absoluti speciem, omnino non potest ferri; nam usurpavit poeta verba, in quibus inest vis animadvertendi universa: κλύειν, ἰδεῖν — neque aliud est προσιδεῖν atque simplex verbum. Quid? nonne haec verba participiali forma accepta suapte natura necesse est cohaereant cum actione primaria, cum utraque notio et animadvertendi et affectus significati ad unam eandemque personam pertineat? Absolute igitur haec participia non possunt poni. Si quis obiciat, quod ex Homeri carminibus attulimus p. 10, (ζ 155):

μάλα πού σφισι θυμὸς
αἰὲν εὐφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο,
λευσσόντων τοιόνδε θάλος χορὸν εἰσοιχνεῦσαν.

hoc exemplum quantum distet ab illis tribus locis Ch. 399,

---

1) velut Hartungius, scribens κλυούσας (Ch. 399).

2) neque Meinekius dubitavit [Philol. XIX p. 239] hunc casum textui inferre, scribens ἐσιδόντος ἐτῶν, quae coniectura, quamvis quomodo corruptela irrepserit, ex maiusculorum scriptura studeat demonstrare, non habet probabilitatem. [cf. Teuffelium ad h. l.]

Pers. 890, El. 479, iam supra (p. 10) vidimus. Apud Homerum de tertio quodam dicitur, apud Aeschylum et Sophoclem persona una eademque de se ipsa loquitur; apud Homerum, cum eius aetate structura genetivi absoluti quasi nasceretur, genetivum λευσσόντων ad θυμὸς referre licuit, sed etiamsi his locis (Ch. 399, Pers. 890, El. 479) ex grammaticis legibus genetivum ex praecedente substantivo (velut κέαρ vel θράσος) posse pendere non est negandum, tamen tenor atque color totius loci obstat. Hoc enim modo si participii genetivus cum nomine praecedente conecteretur, duae actiones et audiendi et tremendi vel gaudendi simili divellerentur ratione, qua genetivo absoluto posito; nam tum non minus recederet participium ab actione primaria, quacum artissime cohaeret, quia, ut exemplum ponam, nomen substantivum κέαρ et genetivus κλυούσας unam notionem facerent; quae ratio dicendi nimis redoleret prosam orationem atque nimis exquisita esset. Itaque de genetivo absoluto non est cogitandum.

De nominativo soluto, qui ex rationibus logicis desideratur, satis dixi p 40; quem casum restituere dubitandum est.

Itaque necesse est abstineamus quacumque mutatione et accusativum in textu relinquamus.

§ 2.

Quid ergo iam faciendum est? Neque accusativus participii tribus locis (Ch. 399, El. 479, Pers. 890) tam singulariter positus per analogiam illorum generum, quae in priore parte perlustravimus, illustratur vel explicatur, neque licet accusativum absolutum esse statuere aut illam difficultatem corrigendo tollere.

Sed iam demonstrabo, quomodo singularem illum accusativum exstitisse putem. Ei loci, qui ad nostram quaestionem spectant, inveniuntur non in diverbiis, sed duo saltem in lyricis partibus, unus in recitativa, cuius natura prope abest a lyrica. Eos autem, quos facit poeta loquentes, animi quodam motu perturbatos videmus eoque vehementi. Ita chorus (Choeph. 399) non mediocriter excitatus, cum audivisset πᾷ

τις γένοιτ' ἄν, quae verba sunt animi omni spe destituti,[1]) profitetur:

πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ
τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

In simili condicione versatur Xerxes in patriam rediens. Adspicienti domum suam denuo in mentem venit, quanta sit calamitas terrae suae inflicta; questibus resonat tota scena atque magis magisque rex sollicitatur, ut postremo illa verba pronuntiet, quae plane desperantem describunt:

λέλυται γὰρ ἐμῶν ῥώμη
τήνδ' ἡλικίαν ἐσιδόντ' ἀστῶν.
εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ, κἀμὲ μετ' ἀνδρῶν
τῶν οἰχομένων
θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.

Non minus commotus est chorus in Electra, non dolore oppressus, sicut chorus in Aeschyli Choephoris, sed summo gaudio elatus pronuntiat:

ὕπεστί μοι θράσος
ἀδυπνόων κλύουσαν
ἀρτίως ὀνειράτων.

Tribus his locis concitationem animi quandam vehementem invenimus; atque ea persona, quae hoc affectu perturbatur, animum suum relevat, cum exponit, quare commoveatur. Eum autem, cuius mens vehementer perturbata est, uti oratione minus diligenter structa id est anacoluthice loqui consentaneum est. Habemus igitur non orationem secum animo considerantis atque exiliter ieiuneque disputantis, sed sublimem poeseos sermonem. Quamobrem non possumus statuere poetam his locis constructionem κατὰ σύνεσιν usurpasse; hoc modo scriptor prosaicus loquitur, qui quin anacoluthia admissa nominativum

---

[1]) Cui autem haec verba atque omnino tota stropha tribuenda sint ambigitur; libri etsi ea assignant Electrae, tamen iam Engerus [mus. rhen. XII 189] voluit Orestem facere loquentem atque nuper Wecklinus [ann. suppl. XIII p 235] idque recte. Nam condicio misera, in qua versatur chorus, eo magis perspicitur, si is, in quo adhuc omnis salutis spes posita erat, ab facinore scelesto abhorrens aliquid temporis scrupulos movit.

posuisset, non est dubium. Poeta autem posuit accusativum. Iam vero natura huius casus postulat, unde regatur. Praeterea exigunt illa participia notionem animadvertendi universam habentia, ut conectantur arte cum praecedentibus. Quid autem praecedit? Periphrasis affectionem quandam significans est praemissa; sed, cum pronomen personale μοί (sive ἐμῶν) accedat, ea persona, quae hoc pronomine describitur, subaudienda est quasi subiectum, ut participium sequens in nominativo ponendum fuerit. At, quid fit? Nominativus non ponitur, sed accusativus, ut illa persona quasi obiectum intellegatur. Itaque aliquid esse debet, quod illum accusativum postulaverit. Id autem unde eliciendum est nisi ex praemissis verbis? Cum praecedentibus vehemens quidam affectus exprimatur, non errore ducimur, si dicimus affectum imperium tenere, cui subiungatur persona. Itaque cogitatio totius enuntiationis ita vertitur, ut affectus quasi subiectum, persona quasi obiectum intellegatur, ut accusativus participii, qui ad personam spectat, applicari possit isque prorsus generaliter. Qualis autem sit quamque acceperit formam illa cogitatio, cum verteretur, non possumus enarrare. Ea autem ratio, qua id quod est subiectum logicum, ut ita dicam, quasi obiectum intellegitur, soli est poesi tribuenda. Nam non mens, sed sensus effecit hanc anacoluthiam.

Anacoluthiae autem offensio videtur me iudice leniri atque paene tolli ea ratione, qua illa verba ab histrionibus pronuntiata sunt credenda. Cum enim ea certo numero cantarentur, ratio musicae artis multum valuit, ut fortasse — certum non potest affirmari — post illa verba, quae primariam sententiam efficiunt, oratio non statim continuaretur, sed interrumperetur per pausam quandam; aut fortasse dici potest participium κλύουσαν vel προσιδόντα, quippe quod ad sententiam ipsam nihil conferret, quasi delituisse ac paene non esse auditum. Id est perspicuum illis participiis positis, quae ex legibus grammaticis deesse poterant, orationem existere multo numerosiorem.

Ex eis igitur, quae ostendi, satis apparet poetam non idcirco accusativum posuisse, quod in mente habuit certum verbum hunc casum regens; sed hic participii casus in uni-

versum applicatus est ad sententiam praecedentem non respecta forma, quam ea acceperat. In eandem opinionem adducimur eo quoque, quod illa verba, quae antecedunt, saltem apud Aeschylum, non sunt eiusmodi, ut proclivi transitu in alia abeant, qualia viri docti poetam in mente habuisse arbitrantur;[1]) cuius quidem generis est Plat. Phaedr. 275 A, ubi verbum finitum facile ita verti videmus (cf. p 20), ut accusativus participii sequens quasi vice obiecti fungatur; sed his tribus locis res aliter se habet. Nam prorsus alia verba substituuntur, quae quartum casum efficiant, velut τρόμος μ' ἔχει pro πέπαλταί μοι κέαρ[2]) vel γυίων ἔκλυσίς με καταλαμβάνει pro λέλυται ἐμῶν γυίων ῥώμη,[3]) aut si ab eodem verbo repetuntur formae, vix accedunt ad gravitatem eius periphrasis, quam posuit poeta. Nam quam exile est, quod affert Kuehnerus, λέλυκέ με ῥώμη pro λέλυται ἐμῶν γυίων ῥώμη? Quod autem circumlocutiones, quas statuunt viri docti anacoluthiam effecisse, proferuntur diversissimae, id iam docet poetam omnino non cogitasse de certa periphrasi, sed in generalem modum additos esse accusativos participii. Atque ad id ipsum maxime idonea sunt verba, qualia sunt κλύειν, προσιδεῖν, cum notionem sentiendi universam habeant.

Haec dicendi ratio quodammodo est consimilis ei mori, quo poetae sententias inceperunt nominativo participii posito non respicientes, quomodo apodosis sequens esset conformanda (cf. p 25). Nam ut ibi, imprimis apud Aeschylum (cf. p 25), generaliter praecedit nominativus participii sequenti sententiae, ita tribus locis: Choeph. 399, El. 479, Pers. 890 praecedenti sententiae accusativus participii subiungitur plane universe.

Haec eadem explicatio, quam proposui, admonet hanc proprietatem accusativi participialis apud neminem inveniri nisi apud poetas, sicut ille usus audacissimus praemissi nominativi in poesi sola exstat. Itaque exempla, quae eam ora-

---

1) quam sententiam primus protulit G. Hermannus cf. p 9 adn. 8.
2) sic Hermannus et Kuehnerus.
3) sic Schiller-Conradt.

tionis insolentiam comprobant, frustra investigabimus in prosa oratione; ac profecto inveniuntur nulla.

§ 3.

Quam late autem patet haec proprietas apud poetas? Homerus, cuius temporibus participium ob verbalem naturam a nomine suo quoad casum persaepe solvebatur, accusativum participii tantummodo solutum habet, ubi iunctus est infinitivus, sed nusquam ita, ut Plat. Phaedr. 275 A, nedum, ut Choeph. 399. Quamquam, posterioris quoque aetatis poetae carent ea dicendi proprietate. Neque Pindarus neque alii praeter Aeschylum et Sophoclem exhibent eiusmodi exempla. Sed in hunc accusativi participialis usum referuntur ab aliquot viris doctis duo loci, etsi neque memoria codicis sunt certi neque eundem habent tenorem atque illi, quos modo tractavimus. Hermannus enim scribit Eur Bacch. 1018:[1])

ἴθ' ὦ Βάκχε, θηραγρέτᾳ Βακχᾶν
γελῶντι
προσώπῳ περίβαλε βρόχον, ἐπιθανάσι-
μον ἀγέλαν πεσόντα τὰν Μαινάδων.

At primum accusativus πεσόντα post dativum θηραγρέτᾳ memoria librorum non est traditus; deinde si traditus esset, tamen is esset aliter explicandus atque tribus locis: Ch. 399, Pers. 890. El. 479; periphrases enim περίβαλε βρόχον potest dupliciter construi, ut facile accusativus participii, quippe quod quasi obiectum intellegatur, nominis dativum sequatur, id quod tribus illis locis non fit. Alii, velut Wecklinus, ut casuum discrepantia inter nomen et participium tolleretur, scripto θηραγρέτᾳ dativo posuerunt πεσόντι pro πεσόντα. Sed cum neque si scribimus θηραγρέτᾳ πεσόντα neque si legimus θηραγρέτᾳ πεσόντι, textus epodi, cuius metrum est turbatum, restituatur neque codex exhibeat dativum θηραγρέτᾳ, sed θηραγρ (ο a correctore) τα, hic est locus minime idoneus, qui comparetur cum tribus illis locis, velut El. 479.

---

1) quem secutus est Trawinskius, de acc. ex phrasibus apto ap. trag. p 29.

Similiter se habet illud alterum ex Sophoclis fabulis sumptum; legimus enim Oed. Col. 1436 (recepto εὖ διδοίη, quod Burgesius recte restituit pro εὐοδοίη):

σφῷν εὖ διδοίη Ζεύς, τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι
θανόντ', ἐπεὶ οὔ μοι ζῶντί γ' αὖθις ἕξετον·

hic quoque dativum μοι habemus, deinde accusativum θανόντ'; nam quin in forma θανόντ' littera α sit elisa, non dubito; apparet delictum librariorum multaque multorum sunt emendandi conamina.[1]) Sed minime vera restituitur lectio, si versus 1436 totus deletur,[2]) aut si idem versus alium in locum transponitur.[3]) Quid vero movet dubitationes? Non accusativus θανόντα dativo μοι iunctus[4]) — etsi neminem effugiet hunc locum ad tenorem, quem El. 479 vel Choeph. 399 invenimus, non accedere —; sed pronomen τάδε nude atque simpliciter positum. Quid enim vult poeta voce τάδε significari? Reisigio quidem τάδε ad verba praecedentia μή μ' ἐπίσχῃς (v. 1432) esse referendum opinanti non est assentiendum. Nihil aliud intellegi potest, nisi honores, quibus ut mortuus afficiatur Polynices exoptat. Verum cum Polynicis plurimum intersit, ut sorores extremos sibi tribuant honores, permirum est, si poeta simplex 'τάδε' posuit, quod brevius dicitur quam ut quid significari velit, continuo perspiciatur. Id vero eo difficilius fit, quod iam multis ante versibus de eisdem honoribus dictum est, interea autem de aliis rebus sermo fuit. An putas Polynicem tam obscure loqui voluisse tristis ominis causa? Id non potest mihi persuaderi, praesertim cum idem ingenue fateatur se mortem esse obiturum (v. 1437). Post τάδε, si recte sentio, aliquid intercidit; itaque adstipulor Hermanno, qui posuit lacunae signa post v. 1435. Quae cum

---

[1]) complura congessit Rassfeld, de versibus suspectis et interpolatis fabulae Soph. Oed. Col. 1883 p 24.

[2]) id quod fecerunt Dindorfius, Meinekius, Rassfeld.

[3]) id quod fecit Madvigius (adv. crit. I 225), cum poneret hunc versum post v. 1409.

[4]) quod permulti opinantur, velut Lobeckius, qui in versu 1436 mendum verborum traiectione tolli arbitratur [cf. ad Ai. 802], cf. Mein. ad El. 433: rari sunt in Soph. libris errores verborum transpositione nati.

ita sint, in lacuna puto aliquid fuisse, unde accusativus regeretur; haud scio an infinitivus. Itaque hic locus non est afferendus, quippe cuius tenor prorsus alius generis sit, ut vix comparetur cum tribus illis locis velut El. 479 vel Ch. 399.

Hos igitur locos duos, qui ne sane quidem traditi sunt, videmus non esse similes illis, unde disputatio profecta est. Sed ex Aeschylo aliquot exempla possunt sumi, quae etsi magis minusve librorum fide sunt incerta, existimo quidem depravata esse ob eam causam ipsam, quod hic accusativi participialis usus, quippe nimis singularis, librariis non fuit notus. Quibus ex exemplis est certissimum sane, quod legimus Prom. 145:

λεύσσω, Προμηθεῦ· φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις
ὀμίχλη προσῇξε πλήρης
δακρύων, σὸν δέμας εἰσίδουσα (sic. cod. Med. sec. Wecklinum.)
πέτραις προσαυαινόμενον
ταῖσδ' ἀδαμαντοδέτοισι λύμαις.

Haec exhibet cod. Med.; habemus igitur eam anacoluthiam, non raram, ut nomen ἐμῶν praecedat, subsequatur nominativus participii — nam nihil esse potest aliud forma εἰσίδουσα, falso accentu ornata —; sed hic casus movet dubitationem quandam, quod attinet ad metrum. Si enim versum δακρύων σὸν δέμας εἰσιδοῦσᾰ componimus cum strophico προσέβα τόνδε πάγον, πατρῴας, elucet syllabam ultimam vocis εἰσιδοῦσα non accurate respondere, cum non brevis, sed producta exspectetur syllaba. Hunc locum non esse sanum putare eo magis cogimur, quod omnium Aeschyleorum carminum strophae et antistrophae plerumque tam accurate inter se consentiant,[1]) ut ubi productae syllabae in stropha occurrunt, ibi antistrophici versus easdem habeant productas, item, ubi

[1]) cf. M. Haupt (Belger p 205): Die genaue Uebereinstimmung aeschyleischer Strophen und Antistrophen bis in die einzelnen Silben der Versfuesse ist durch kein altes Zeugnis beurkundet, aber der überlieferte Text zeigt uns diese Uebereinstimmung in so überwiegendem Masse, dass sie für die meisten Versmaasse als Regel anzunehmen ist, und wo die Regel verletzt ist, finden sich meist Spuren der Verderbniss.

correptae, eaedem sint in antistropha correptae; quae ratio cadit imprimis in Promethei fabulae carmina. Cum autem non sit, cur strophicum versum esse vitiosum censeamus, iure ambigitur, num nominativus participii εἰσιδοῦσα a poeta ipso profectus sit. Haec vero dubitatio eo augetur, quod Aeschylus nusquam habet nominativum absolutum participii alio casu nominis praecedente (cf. p 23). Quodsi hunc locum Aeschyleum cum ceteris, de quibus supra disputavimus, comparabimus, inter hos et illum similitudinem quandam intercedere nemo non perspiciet. Nam hic quoque locus invenitur in lyricis; sententiam primariam efficit circumlocutio, quae affectionem quandam exprimit, atque is qui loquitur, quodammodo est perturbatus, cum Promethei miseram condicionem ad saxum affixi adspiciat. Praeterea verbum, quod formam induit participialem, vim sentiendi habet universam. Ergo simillimus est hic locus illis, quos ex Aeschyli fabulis deprompsimus. Nonne igitur iure censes restitui accusativum participii εἰσιδοῦσαν? Nam hoc casu posito prodit responsio pedum accuratissima, cum terminatio σαν producta fiat ob duas consonantes sequentes. Quid vero? haec coniectura firmatur *illo* testimonio, quod legimus apud Wecklinum in mantissa ad h. l., ubi Vitellius dicit 'M. scripserat nisi fallor εἰσιδοῦσα͞ h. e. εἰσιδοῦσαν.' Itaque iudico me non festinanter agere, si assentior eis, qui scribunt: φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις | ὁμίχλη προςῇξε πλήρης | δακρύων σὸν δέμας εἰσιδοῦσαν | πέτραις προσαυαινόμενον.

Duobus aliis quoque locis causa corruptelae esse repetenda videtur ex eo, quod librarii non perspexerunt hanc accusativi participialis proprietatem, quam indagavimus. Unus locus exstat in eo chori carmine, ex quo iam sumpsimus haec verba: πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ | τόνδε κλύουσαν οἶκτον, quibus continuantur illa:

καὶ τότε μὲν δύσελπις,
σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦ-
ται πρὸς ἔπος κλυούσᾳ·
ὅταν δ' αὖτ' ἐπαλκὲς
θραρέαπέστασεν ἄχος
πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς.

Quamquam versus extremi sani non sunt neque emendatio probabilis, quantum scio, proposita est,[1]) tamen versus: σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλυούσᾳ in corruptelam incurrisse graviorem non videntur. In qua condicione is versetur qui loquitur, iam supra vidimus (p 43). Sed illa casuum discrepantia, quam cernimus ineunte stropha inter nomen et participium intercedere, hoc loco evitata videtur esse, quamquam enuntiatum pariter est formatum atque sententia prorsus eadem. Haec autem aequabilitas inter nomen et participium non exstat, si codicem sequimur; hic enim exhibet genetivum μου, quem casum in tertium mutavit Schuetzius idque non improbabiliter secundum Schenkii observationem (p 4). Deinde dubitari licet, num participii forma κλυούσᾳ, quae adhuc vulgatur in editionibus, genuina sit. Exsistit enim hiatus non ferendus, cum vox subsequens a vocali incipiat. Praeterea haec suspicio ea ratione augetur, qua κλυούσᾳ dativum in codice traditum esse videmus; adnotat Wecklinus ad h. l.: κλυούσαι (vel αν) M. κλυούσαι m. Itaque nescio an praeferendus sit accusativus κλύουσάν, praesertim cum hic locus sit praecedenti simillimus.

Alter locus invenitur Sept. adv. Th. 546:

ἱκνεῖται λόγος διὰ στηθέων,
τριχὸς δ' ὀρθίας πλόκαμος ἵσταται
μεγάλα μεγαληγόρων
κλύων ἀνοσίων ἀνδρῶν. εἴ θεοὶ
θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ.

Verba v. 549 non esse sana elucet ex versibus antistrophicis; quaeritur autem, quomodo ea sint sananda, nec facile est emendationem proponere probabilem neque possum. Sed nescio an illa proprietas, qua Aeschylus saepius usus est, hoc quoque loco causa fuerit, quae librarium a vera lectione aberrantem faceret. Nam item hoc loco is qui loquitur concitatione animi vehementi est commotus: feminae, cum nuntium narrantem et Eteoclem quid sit faciendum praecipientem audiant, animo non mediocriter perturbantur; item exstat

[1]) cf. Hense Philol. XXIX (1870).

verbum universam sentiendi notionem habens, quod formam accepit participialem; item praecedunt circumlocutiones, quibus affectio quaedam significatur. Ergo hic locus est similis illi: πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον κέαρ τόνδε κλύουσαν οἶκτον. Nam etiamsi in enuntiato primario pronomen personale non est expressum, tamen perfacile subauditur dativus μοι, ad quem accommodandum est participium κλύων. Propterea iam proposuit Hermannus (elem. doctr. metr. p 279) κλυούσᾳ scribendum, quae coniectura non est probabilis propter hiatum non ferendum, qui ut evitaretur Wellauerus ad h. l. κλύουσαν pro κλυούσᾳ legendum duxit. Sed hac emendatione sanatum esse totum locum non contendo; nam plenam assequi emendationem eo est difficilius, quia idem versus antistrophicus sanus non est; id quod non impedit, ne emendatio κλύουσαν recipiatur. Qua recepta haud scio an aliquis veram possit investigare lectionem.

Restat unum exemplum, quod eandem duco praebere accusativi participialis proprietatem, etsi idem etiam alio modo posse expediri non infitior; legimus Ag. 1581:

οὕτω καλὸν δὴ καὶ τὸ κατθανεῖν ἐμοί,
ἰδόντα τοῦτον τῆς δίκης ἐν ἕρκεσιν.

Sunt verba Aegisthi, qui gaudio exultat, quod miserrimam obiit Agamemnon mortem. Hic locus, etsi legitur in diverbio, accedit ad tenorem, qui est partium lyricarum. Simili ratione qua ceteris locis, sequitur accusativus participialis ἰδόντα dativum pronominis μοι; at intercedit aliquid discriminis inter hunc locum et illos alios; infinitivus (sc. κατθανεῖν) enim adiunctus est, ad quem licet accusativum ἰδόντα referri (cf. p. 31). Cur hunc locum tamen cum reliquis velut Ch. 399 componi probem, causae sunt complures; primum quidem quod infinitivus cum articulo coniunctus abit in vim substantivi; deinde quod pronomen aliter collocatum videmus atque in eis exemplis, quae accusativo participii infinitivum habent iunctum (cf. p 31 sqq). Eis enim locis cum soleat pronomen sive nomen ante infinitivum poni, apud Aeschylum in Agamemnonis versibus dativus nominis inter infinitivum et participium interiectus est, ut continuo dativus μοι excipiatur accusativo ἰδόντα, id quod

tantum attulit offensionis, ut nonnulli mallent ἰδόντι pro ἰδόντα scribere.[1]) Denique notionem sentiendi universam habet verbum (ἰδεῖν), quod participiali forma indutum adiungitur sententiae praecedenti, ut hic locus totus prope absit a ceteris, quos ex Aeschylo deprompsimus.

Alia exempla non deprehenduntur, in quibus accusativus participii nominis dativo tam singulariter adnexus est Restat ergo in Sophoclis fabulis unum, quod habet illam anacoluthiam hoc uno loco excepto tantummodo apud Aeschylum inventam. Sed qua in fabula exstat hic unus locus Sophocleus? in ea, quam Sophocles ita composuit, ut respiceret ad Aeschyli Choephoros, dico Electram fabulam, quae fert vestigia ad Aeschylum spectantia,[2]) etsi non tam perspicua quam quibus intelligitur Euripides in sua Electra summum poetam tragicum recensuisse atque reprehendisse.

Itaque me non peccare existimo, si contendo Sophoclem, cum id canticum componeret, quod hunc accusativi participialis usum singularem habet, illius dictionis Aeschyleae meminisse atque eandem sibi licentiam permisisse ita tamen, ut eam aptissime usurparet. De imitatione autem eo magis potest cogitari, quia Sophocles ceteroquin non tam libere quam alii scriptores participium usurpavit. Nam ne illum quidem usum frequentem saepe exhibet, quo accusativus participii exstat infinitivo iunctus. Deinde si hunc locum Sophocleum (El. 479) cum ceteris (Aeschyleis) comparamus, perspicuum est Aeschyleos quasi speciem atque imagines obtulisse huius proprietatis. Praeterea minime est mirum, si Sophoclem ad alios scriptores respicientem videmus, id quod saepius fecit; nam ne illos quidem locos ad Herodotum opus spectantes a Sophocle esse abiudicandos existimo;[3]) huius enim poetae fuisse videtur hoc modo suos amicos et eos, quos magni faciebat, colere atque venerari. Porro est notan-

---

[1]) id quod iam proposuit Triclinius.

[2]) O. Gruppe, Ariadne 1 ff.

[3]) Kirchhoff, über die Entstehungszeit des Herodoteisch. Geschichtswerkes. 1878, p 8.

dum antiquissimis illis temporibus eum morem latius patuisse, quo scriptores singuli singulos imitati sunt; imprimis tragici in exprimendis aliorum locis non ita religiosi fuerunt.[1])

Itaque redit ad Aeschylum solum haec proprietas, quae speciem prae se fert nimis singularem, nam ea cum apud hunc poetam fere in unaquaque exstet fabula, non invenitur nisi uno loco Sophocleo. Neque haec dicendi ratio est aliena ab Aeschyli dictione; nam ea congruit cum eo more, quo hic poeta non est curiosus in coniungendis sententiis, sed eas adnectit non copulatas; huic rationi respondet is usus, quo Aeschylus persaepe ac tam audacter quam nullus alius scriptor enuntiatum aliquod a nominativo participii incipit, tum autem apodosin, quae exspectatur, non ponit; huic rationi non est dissimilis is mos, quo idem poeta persaepe accusativum participii iuncto infinitivo ponit, ut attractio, quae vocatur, neglegatur.

Tantum de proprietate Aeschylea, quam mihi illustrandam proposueram. Quae simul de participii natura et usu in universum me constituisse spero, haec sunt. Accusativus participii, si praecedens nomen alium casum habet, raro usurpatus est, praeterquam quod saepe positus est iuncto infinitivo; sed in eum singularem modum, quem exposui, accusativus participii solutus adhibitus non est, nisi ab Aeschylo ibique, ubi verba occurrunt, quae universam sentiendi vim habent, velut κλύειν vel ἰδεῖν. Haec autem proprietas, quae est in anacoluthis numeranda, cum grammaticae leges non severe observentur, Aeschylei sermonis gravitati maiestatique perapta est neque tollenda.

---

[1]) A. Boeckh, gr. trag. princ. p 241.

Index capitum.

Sententiae controversae.

1. Aesch. Agam. versus 1373—1378 Kirchh., quales legimus in cod. Med., sani sunt.
2. Plaut. Epid. versus 363—370 a Plauto profecti sunt neque contaminationem aut retractationem declarant.
3. Kirchhoffio assentior Aesch. Eum. 104 sq. non esse suo loco iudicanti.
4. Post Plaut. Epid. v. 355 non est lacuna statuenda neque inveniuntur retractationis vestigia.

Vita.

Ricardus Haeusler Posnaniensis a. d. XIII Kal. Febr. natus sum patre Henrico, matre Emma e gente Klose, quos parentes benignissimos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Postquam parentes Berolinum transmigraverunt, in ludo quodam qui vocatur privato primis litterarum elementis imbutus autumno anni 1874 in sextum ordinem gymnasii quod dicitur 'Luisenstaedtisches Gymnasium', quod Th. Kockii, viri humanissimi, auspiciis floruit, receptus sum. Maturitatis testimonium mense Octobri 1883 adeptum me cum A. Kirchhoffius, vir praeclarissimus, numero civium universitatis Fridericae Guielmae adscripsisset, quattuor deinde annos philologicis et historicis operam dedi. Atque in scholis me docuerunt Bresslau, Curtius, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kiepert, A. Kirchhoff, Koser, Robert, Scherer, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Weiss, Weizsaecker, Zeller. Praeterea ad exercitationes philologicas Huebner, ad epigraphicas Kirchhoff, ad historicas Hirschfeld, Wattenbach, Weizsaecker aditum benigne mihi concesserunt; quibus omnibus de studiis meis optime meritis gratias ago semperque habebo quam plurimas.